This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

WIDENER LIBRARY
HX 17KJ B
HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Ger 171.9

VE RI TAS

CHRISTO ET ECCLESIAE

SIGILLUM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG

HARVARD COLLEGE LIBRARY

HOHENZOLLERN COLLECTION

IN COMMEMORATION OF THE VISIT OF
HIS ROYAL HIGHNESS
PRINCE HENRY OF PRUSSIA
MARCH SIXTH, 1902
ON BEHALF OF HIS MAJESTY
THE GERMAN EMPEROR

PRESENTED BY ARCHIBALD CARY COOLIDGE PH.D.
ASSISTANT PROFESSOR OF HISTORY

No. 8439

DISSERTATIO HISTORICO JURIDICA INAUGURALIS

DE

JUDICIIS VEMICIS.

DISSERTATIO HISTORICO-JURIDICA INAUGURALIS

DE

JUDICIIS VEMICIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

HENRICI COCK,

JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET JUR. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE JURIDICAE FACULTATIS DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

Jacobus Dirks,

LEOVARDIÂ-FRISIUS.

AD DIEM XXV JUNII MDCCCXXXV, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

APUD G. J. A. BEIJERINCK,

MDCCCXXXV.

d. 825

Ger 171.9

Quid non longa dies, quid non consumitis anni!

MARTIALIS.

13

PARENTIBUS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Plura sunt, quae tibi, B. L., in hujus opusculi praefatione, dicenda habeam, et talia quidem, qualia mihi necessarie esse dicenda videantur. Non dicam mihi, si finem optatum studiis Academicis imponere vellem, quasi fatum fuisse, tale quid conscribere, quo illum gradum capesserem, quem omnes jurisprudentiae studiosi ambire solent. Titulus formaque hujus opusculi satis tibi indicabunt. Sed mirum tibi forsitan esse posset, quod juvenis, litteris tantum leviter imbutus, talem materiem tractare ausus sit, qualem ipse omnium optimum sentiat, humeros suos ferre non potuisse. Amore hujus argumenti tractandi praereptus, auctor tale quid conscripsit, quod vitiis carere ne exspectes, etiam atque etiam te rogat.

Si enim verum, errare humanum, adhuc magis verum esse debet, quod ibi eo facilius quis errare

possit, ubi variae ipsi, ad veritatem indagandam et inveniendam, pateant viae.

Tot autem tamque diversas ingressi sunt scriptores, ad explicanda judicia Vemica vias, ut inter tot eligere, quem verum ducem sequaris, difficile esse dici possit. Mox enim haec, mox vero illa tibi placebit via, ita quidem ut quam eligas fere nescias, quin et nonnumquam nova tibi invenienda esse videatur. Posterioribus autem annis, plura de judiciis Vemicis in Germania prodierunt scripta, quae egregie lucem huic parti juris Germanici historiae attulerunt. Horum auxilio freti quaedam de judiciis Vemicis *sive* liberis *in chartam retulimus, quibus plura adjicere eaque extendere facile nos facere potuisse, nemo inficias ibit, si tantum reputet, quot quamque varia de judiciis Vemicis in lucem prodierint scripta. Cum primum manus operi adjiceremus, nostrum propositum erat, de industria, in Capite peculiari inquirere an judicia Vemica, in patria nostra etiam, et inprimis in parte ejus orientali, exstiterint* (*). *Pluribus jam hac de re fragmentis collectis, tamen*

(*) Ano. 1828 a Societate Zelandica scientiarum etc. haec quaestio proposita fuit: quaerebatur: Een op goede gronden gevestigd narigt

nobis ab hoc proposito desistendum fuit, quippe quod, si res bene exponeretur, plura chartarum horrea, in Gelria, Transisalania et aliis locis obvia, consultanda et perscrutanda fuissent, quod facere partim et tempus promotionis instans et occasio non data prohibuerunt. Dignissima autem quaestio est, ut a doctiore ei respondeatur.

Haec B. L. praemonenda habebam. Utinam eventus doceret, non omnes nostros conatus irritos fuisse, sed unam alteramve nostrae operae partem tibi non omnino displicere.

Caetera hujus praefationis verba si numero pauca sint, sinceritatis atque veritatis ea plena tamen esse, profiteor. Dulcis enim et jucunda mihi nunc occasio data est publice gratias agere vobis, VV. CLL. DE GREVE, ROVERS, ERMERINS *et* DE GEER, *Athenaei Franequerensis professoribus, pro egregia vestra, qua usus sum, institutione, proque omnibus signis benevolentiae, quibus me condecorare voluistis. Non minus dulce mihi easdem gratias vobis,* VV. CLL. SMAL-

---

betrekkelijk de oude Veemgerigten, derzelver bestaan en wijze van handelen in de Nederlandsche gewesten en wanneer zij hebben opgehouden in dezelve hunnen invloed uit te oefenen.

LENBURG, VAN ASSEN, TIJDEMAN *et* COCK, *agere posse, quorum tam publicis quam privatis lectionibus me adfuisse, semper mihi et utile et jucundum erit. Quid autem tibi*, CL. THORBECKE *dicam nescio. Tanta enim tua erga me, hoc argumentum elaborantem, fuerunt merita et grata auxilia ut quo fata me ferant, quotque etiam anni intercedant, semper tamen me grato haec recordantem animo invenies.*

Vobis denique in Athenaeo Frisiaco et in alma Academia Lugduno-Batava sodalibus et amicis valedicendum est. Vos omnes quibuscum sive amicitiae, sive studiorum vinculo conjunctus fui, vivite felices, vivite diu et mei semper, uti ego vestrum, memores sitis!

PROLEGOMENA.

DE ORIGINE ET SIGNIFICATIONE VERBI, FEM. S. FEHM (VEEM).

Nullum fere exstat verbum, de quo tam variae, tamque diversae in medio latae sententiae sint, quam verbum *Fehm*, ita quidem, ut Wigand (1), recte moneat satis amplam dissertationem conscribi posse, si tantum quis enumerare et refutare, vellet quid de eo cavillati sint varii auctores. In M[ss]. Germanicis ita scriptum vulgo legitur ut sit *Fem*, *Fehm*, *Fäm*, et etiam *Wymen* vel *Veme* (2). Adjungitur verbis *Gericht* vel *Ding*, *dyngh*, idem

(1) In opere *Das Femgericht Westphalens.* Hamm. 1825, p. 306.

(2) V. c. apud Usener, *die Frei- und heimlichen Gerichte Westphalens.* Francf. a/M. 1832, p. 7.

significantibus, ita ut sint *Fem-*, *Fehm-*, *Fäm-gericht*, *Femding*, vel *Femdyngh* etc. Praeterea exstat in verbis *Femgenossen*, *Vemenoten* et in *Femwroge*, quo significabatur quaecunque res vel delictum talis esset naturae ut ad tribunal judicum Vemicorum pertineret (1). In nostris M^{ss}. occurrit tamquam *Veem* (2).

Ad hujus verbi originem et significationem primitivam explicandam variam varii auctores ingressi sunt viam. Unam alteramve eorum opinionum citare satis erit, omnes enim enumerare aeque a nostro proposito alienum quam inutile ad rem bene explicandam esset (3).

---

(1) Cf. Berck. *Geschichte der Westphälischen Femgerichte*. Bremen 1814, pag. 175.

(2) Affirmat ita legi doct. Dorn-Seiffen. *Handboek der Algemeene Geschiedenis*. IV, p. 360.

(3) Sic Revius, in *Hist. Daventriae*, p. 13, putat esse a *Weet-men* vel potius *Vedemen*. *Vete* significat *hostilitas*, *bellum*, ut *vede* et *vrede* (pax) opponantur. *Vedemen* igitur sunt viri ad eos coercendos constituti, qui pacem violant. Idem fere Bilderdijk (*Verklarende Geslachtlijst der Ned. Naamwoorden*), sed cum primo derivare verbum velit a Verbo Germano *Ve-ing* s. *Befehdung* (nos *Vete*), deinde a verbo Danico *ven* (amicus), etiam necesse esset duas sibi oppositas eidem verbo tribuere significationes. Gryphiander (cum seqq. citatus

Summus ille, de lingua Germanica egregie meritus Adelung, recte monuit etymologiam verbi in lingua Germanica et quidem in dialecto Saxonica esse quaerendam: errasse autem videtur, dicens verbum *Feme* indicare *justitiam criminalem*, quia *verfehmen* in Saxonia significabat *proscribere*, nam ita faciendo non explicat verbum primitivum sed verbum activum inde derivatum, quum ipsa vox *Feme* existere debuit, antequam *verfehmen* inde deductum sit et hanc significationem accepisset (1).

Möser (2) eodem modo agit dicendo, nonnullis in

---

apud Berck, l. l. p. 175) *Fehm* derivat a *Fahne* (Vexillum). Werner Rolevink et Paulus Aemilius a *Vemi* (vae mihi!) ob terrorem, quo judiciis vemicis homines afficiebantur. Dreyer, derivat verbum a *Ve* vel *Voen* quod aliquid sanctum significaret, qua propter saepe *judicia sancta, secreta* dicebantur (*die heilige, heimliche Acht*). Schottel putat *Fehm* significari *separatio*; Freher, derivat a *Femen*, quod significaret *despumare*, quasi territorium a maleficis liberassent, etc. etc. etc. Cf. Berck, l. l. p. 175 sq. Plurimas etiam invenies apud C. Hütter, *das Vehmgericht des Mittelalters*. Lipsiae, 1793, pag. 1—8.

(1) Wigand, l. l. p. 307.

(2) Möser, *Osnabruck. Geschichte*, I, p. 263, Wigand, l. l. p. 307. Recte autem vir doct. Jacobus Grimm, apud Wigand, l. l. p. 308,

regionibus verbum *Rahm* (cremor) etiam dici *Fahm*, quare verbo activo *fahmen* aeque bene uti possent ac *rahmen* sive *berahmen*, ad verbum *citare* significandum: *verfehmen*, igitur idem est ac *proscribere* (verbannen), quia *bannen*, etiam pro citare usurpatur.

Derivatio antea usitatissima est ea, quae originem vocis quaerit in verbo Latino *fama*, sed et haec opinio, quam et Berck amplexus est, hoc argumento refutari potest, quod origo verbi non ex lingua Latina sed ex dialecto Saxonica quaerenda sit (1).

Ante aliquot autem annos vir clarissimus Jac. Grimm, novam eamque multo verisimiliorem de hac quaestione in medio protulit opinionem. Nactus enim

---

monuit, in *vême*, *e* non esse *breve*, uti *a* in *Fahm*, qua propter ab eo derivare non potuit.

(1) *Vemeding* videtur significare judicium famae sive existimationis (*Rügerichte*, p. e. dicta) et fuisse quaedam extraordinaria censurae species. Leibnitz, *Script. Rer. Brunsvic.* III, Intr. p. 14. Sic et Haltaus, in *Gloss. Germ. medii aevi.* Lipsiae 1758 Cf. Berck, l. l. p. 177 sq. et Wigand, l. l. p. 306. Berck, adhuc latius procedit et *judicia vemica* indicat tamquam *genus* omnium judiciorum, quae sine probatione valida i. e. secundum famam sparsam et rumores judicabant et *Rügegerichte* dicebantur. Talia autem numquam fuerunt. Cf. Wigand, l. l. p. 311, Nª. 40.

partem veteris alicujus poematis Germanici in qua historia nota Susannae tractabatur et verisimiliter ante Saec. XIV scripti, in eo animadvertit occurrere verbum *Veme*. Susanna enim, senibus recusans, respondit:

» Mir is bezzer herde vele,
» dat ich mich der schande scheme,
» und lìde âne schult *de Veme;*

i. e. melius est ut me pudeat tale committere peccatum et poenam (vel judicium) pati (1).

(1) Professus est hanc opinionem Grimm in Wigand, l. l. p. 307 sqq. et in opere suo *Deutsche Rechts-Alterthümer*. Gött. 1828, p. 681. Postea plura alia detecta sunt fragmenta, in quibus verbum *veme* occurrebat; sic Grimm exempla affert in opere cui titulus *Archiv für Geschichte etc. Westphalens*, V. I, p. IV, p. 113 sq. ubi verba » *veme dulden*" idem significant ac » *de veme lìden.*" Cf. eod. loco T. II, p. 1, p. 109. ubi aliud est fragmentum, in quo bis verbum *veme* occurrit. Bilderdijk, l. l. voce *Veem*, faciens cum Grimm sic scribit. » voor *gericht* (tribunal) schijnt het aan de Westfaalsche dialekt » eigen."

Negat autem illud auctor anonymus in *Westphalia*, *Zeitschrift für Geschichte und Alterthumskunde Westphalens*, *herausgegeben von* Dr. Tross (1826 No. 34), putans verbum *Feme* positum esse pro *poena* et uti *feimen* a punire sic *feime* a poena esse deriva-

τὸ *lide de veme* igitur significat pati ut in judicio sistas, ut judices de te statuant an condemnandus vel absolvendus sis. *Veme* hanc ob causam idem significat ac *causa*, *lis*, *judicium* vel *Ding*. Quum igitur initio ad *tribunal* significandum verbum *Veme* usurpabatur postea, uti saepe aliis in verbis fit, aliud ejusdem significationis verbum priori adjunxerunt, quia prioris forsitan in oblivionem abierat significatio.

Quod ad derivationem verbi attinet observat Grimm, *vëme;* consonare in poemate debuisse cum *scheme;* litteram *e* igitur in eo, neque esse longam, neque brevem sed intermediam *ë*: antiquiorem radicem esse *vime* vel *fime* unde *fim*, in jure autem scripto Frisiorum occurrere verbum *fimel-thing* (1), tamquam judicium a generali (*bodthing*) diversum judicio; syllabam *el* non nisi ob εὐφονίαν esse adjectam.

Haecce Grimmii opinio nobis vera videtur, ita tamen ut cum Wigand, hanc sententiam (l. l. p. 310) examinante, statuamus, quod si igitur *Feme*

---

tum, uti *Kloster* (klooster) a *Claustro* etc.!! Cf. *Archiv* II, p. II, p. 226 sq.

(1) Uti apud Wiarda: *Wörterb.* p. 372-73 et *Asegabuch*, p. 61.

verbi *tribunal* significationem reddat, *Femgenossen* sint *Dinggenossen*, i. e. tales qui jus habebant ei adesse, postea vero *vēme* per excellentiam significasse *secretum judicium*, eo scilicet tempore, quo, uti in Capite II indicabimus, *judicia libera* a caeteris territorii Westphaliae judiciis separata *secreta* (a *secernere*) facta erant. Affert verba Henrici a Herfordia, antiquissimi medii aevi scriptoris, qui de judiciis vemicis mentionem fecit (1) et dicit »legem secreti judicii quod patriae illius lingua *Veme* dicitur." (2).

---

(1) Exstat apud Meiboom, *Irminsula Saxonica* in *Script. Rer. Germ.* T III.

(2) Usener v. c. l. l. p. 6—7, putat originem verbi nondum esse detectam et declarat sibi nullam ejus satisfacere explicationem, caeteroquin autem convenit cum Wigand, dicendo postea improprie eo nomine judicia libera in Westphalia insignita fuisse. Affirmat in Saxonia vocem *Richtstatt* (i. e. locus ubi sententia exsequebatur et condemnatus puniebatur) etiam dici *Feimstatt*, unde *verfehmen* significabat ad ultimum supplicium condemnare. Hanc ob causam arbor e quo comdemnatus suspendebatur et igitur locus ubi sententia exsequebatur *Vehme* dictus fuit, quod probant verba, ex documento d. 28 Maji 1449 »das sy en hangen an des Konix *Vemen*, das ist an den nechsten Bome, die Inen darzu bequem ist." et d. 24 Avrilis 1453, » sie recht zu thunde

Nostra lingua verbum *Veem* quamdam societatem sive *Gildam* significasse videtur, quare Bilderdijk, l. l. illud etiam derivare velit a verbo Danico *ven*, (amico) et a verbo neutro *ve-en* (conversari) (1).

Hisce praemonitis ad ipsum dissertationis argumentum nobis transeundum videtur, lubet tamen

---

und en an des Königes Wymen (i. e. Veme) zu henken." Probant hoc fragmenta in Codice Palatino 113, 114, apud Wigand, in *Archiv*, V. I, p. IV. p. 114, ubi *Femer* occurrit tamquam *carnifex*, et *Femstatt* s. *Vemestatt* tamquam locus ubi sententia ad effectum perducebatur.

Eichhorn, *Deutsche Staats- und Rechts-Geschichte*. T. III, p. 180 (Ed. 3tiae Gött. 1822) putat *Fähm* significare *summum* aliquod (uti Möser de voce *Oberzala*) et inde *judicio vemico* indicari *judicium sanguinis* i. e. tale in quo *Bannus summus* s. *sanguinis* (Bloedban), exerceri posset. Cf. autem quae ad h. l. dixit Wigand, l. l. p. 311, nª 40, et Eichhorn, *Deutsche Staats- und Rechts-Geschichte*. Gött. 1822. Vol. III, p. 183. (nª. k), l).

(1) Addit »en dit is zoo waar, in de zoogenaamde Pakkers *veemen*, »te Amsterdam, die zich door de kleur hunner hoeden plachten te »onderscheiden, en steeds daarna genoemd bleven, als in de West»faalsche veemgerichten, eigenlijk Associatien, op Keizerlijk gezag »rechtoefenende, van de Landsheerlijke Gerichtstoelen onafhankelijk en »waarover onkunde en vooroordeel zoo veel duisters verspreid hebben."

antea viam indicare, quam in hocce specimine elaborando secuti sumus; egimus:

CAPITE I. De judiciis liberis antequam judicia secreta facta erant.

§ 1. De origine judiciorum liberorum sive vemicorum virorum doctorum sententiae.

§ 2. De judiciorum liberorum auctoritatis judiciariae fundamento.

§ 3. De personis et bonis, quae judiciis liberis subjecta erant.

§ 4. De ratione judicia libera inter et caetera territorii judicia.

CAPITE II.

§ 1. De modo quo judicia libera judicia secreta facta sunt.

§ 2. De causis ob quas jurisdictionem civilem amiserint.

§ 3. De propria judiciorum vemicorum forma et ratione agendi.

CAPUT I.

§ 1.

DE ORIGINE JUDICIORUM LIBERORUM SIVE VEMICORUM, VIRORUM DOCTORUM SENTENTIAE.

Quae de origine et primitiva significatione nominis judicii illius exstat diversitas sententiarum, eadem, de origine ipsius judicii observatur, ita quidem ut recens auctor adhuc fateretur nullius fere medii aevi instituti originem tantopere in tenebris versari quam judiciorum vemicorum (1).

Plures hujus rei causae afferri possunt, inprimis vero hic auctorum dissensus inde nobis ortus fuisse videtur, quod fere omnes, saltem plurimi, quaesiverint documentum aliquod authenticum, quo ista judicia instituta essent: altera, eaque non minus gravis causa est ea, quod naturam et juris

(1) Berck, l. l. p. 242.

fundamentum judiciorum vemicorum et varias quas, temporis tractu, subierint mutationes, non satis perspexerint auctores, imo quam plurimi abhorrentes omnino a ratione de iis foverint opiniones (1). Plures, quasi in nemore errantes sed tandem, casu fortuito, bonam ingressi viam, mox eam reliquerunt, veram se jam invenisse viam minime animadvertentes. Cum enim ipsi sibi fingerent judicia Vemica, certo definitoque tempore et tamquam institutum a caeteris judiciis plane diversum fuisse introductum, non perspexerunt per longum tantum tempus et variis conflictantibus casibus, tale quid enasci potuisse et unâ tantum historia duce eorum originem investigari posse.

Breviter praecipuorum hac de re auctorum opiniones exponere, hac in §° nobis proposuimus, incipiamus a notissima illa, quae institutionem Carolo Magno tribuit.

Omnia fere, quorum origo obscura erat, vel quae minus consueta erant, Carolo Magno auctori adscribere, moris erat apud medii aevi scriptores (2).

---

(1) Wigand, l. l. p. 7

(2) Berck, l. l. p. 242. Kopp. *über die Verfassung der heimlichen Gerichte in Westphalen.* Gött. 1794, p. 3.

qua propter non mirum eos etiam hac in re eandem ingressos fuisse viam.

Antiquissimus eorum Henricus à Herfordia, qui vixit tempore Caroli IV, Imperatoris Germanici, (1346—78) haec dicit: (1) »Karulus in patriam, de »qua antiquos Saxones fugaverat ultra Wiseram, »de Francia, Efflata, Hasbania, et Ardania po»pulum novum introducens, terram eis dedit per»petuo possidendam: sic tamen quod regionis to»tius proprietatem de eo dederit, ut videlicet pa»triam illam in fide Christi et fidelitate Regis »manu tenerent, propter quod et *Legem secreti »judicii, quod patriae illius lingua Veme* dicitur, »studens regionem ipsam expurgare furtis, quod »terra saltuosa sit, et latibunda, perjuriis etiam »et proditionibus et aliis talibus, sibi crebro com»pertis, ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter »inter Rhenum et Wiseram observari sancivit (2)."

Alter Aeneas Sylvius, pôstea Pontifex Romanus,

(1) Scripsit opus »de factis illustribus, ab orbe condito usque ad annum 1353. V. Meiboom l. l. in Freher. *Script. rer. Germ.* T. III, p. 24 sqq.

(2) Vid. Eccius, *Diss. de origine jud. vemicorum* Lipsiae 1797, p. 11 sq. Hütter, l. l. p. 10 sq.

sub nomine Pius II (1), sic de iis scripsit: » Carolus Magnus multa cum Westphalis praelia gessit, » eosque magnis affecit cladibus, coegitque Christi » religionem amplecti, relicto idolorum cultu: quam » cum saepius abnegassent, nec jusjurandum ad» verterent; ut metu poenae rebellionem compes» ceret, occultos instituit judices, quibus potesta» tem dedit, ut quam primum dejurasse aliquem » comperissent aut fregisse fidem aut aliquid ali» ud flagitium commisisse, mox illum supplicio » afficerent, ubi primum comprehendi posset, » nulla citatione praevia, aut defensione prae» missa" (2).

Posteriores permulti scriptores haec et aliorum medii aevi auctorum verba verbotenus fere de-

---

(1) Scripsit de statu Europae sub Friderico III, vixit Saeculo XV. V. Freher, *Script. rerum Germ.* T. II, Eccius, l. l. p. 12, et Hütter, l. l. p. 11 sq.

(2) Germanice hoc Conradus Botho vertit. Vid. Chron. Brunsv. apud Leibnitz, *Script. Rer. Brunsvic.* T. III, p. 283: »unde dat lant was » vul holtes, so dat dar vele roves unde mort ut schach, so gaff de » Konigh Karle dat lant myt heimeliken rechten dat me nomet de » Feme, und dat recht scholde geholden werden to ewigen tiden twi» schen de Weser unde deme Ryn.

scripserunt, quorum nomina, titulique scriptorum inveniri possunt apud Eccium l. l. p. 13 sq. Berck, l. l. p. 243 sq. Kopp. l. l. p. 3 sq., et Hütter, l. l. p. 16 sqq.

Sed altera aderat causa, quare haec opinio ad recentiora fere usque tempora tam generaliter et indistincte recepta fuerit, ipsi enim Comites liberi (*vrijgraven*) et Scabini liberi (*vrijschepenen*) certo certius credebant judicia sua a Carolo Magno fuisse instituta (1). Ipsa praeterea imperatorum decreta hoc profitebantur (2).

Haec autem ipsorum judicum vemicorum opinio, nobis inprimis causa fuisse videtur, quare medii aevi scriptores fere omnes hac in re consentiant:

---

(1) » Na insate Kayser Karle des groten mijlder gedacht." in documento A^ni^ 1506. Kindl. l. l. III, 2, p. 217. Ad nostra fere usque tempora Comites liberi pristina potestate licet destituti, hoc crediderunt. Cf. *Archiv*, V. 2, p. II, p. 134, ubi testimonium refertur cujusdam Scabini liberi, qui Saeculo XIX libero judicio adhuc adfuit in loco Astinghausen dicto. Cf. Wigand, l. l. p. 525.

(2) » Wie denn solches der grosze und heilige Keyser Karl hochlöblicher Gedächtnisz gesezt und verordnet hat, und von Alters hergebracht is." Wigand, l. l. p. 9, n^a^. 6, occurrunt illa verba, in Reformatione imperatoris Sigismundi, A^ni^ 1439.

facile enim quisque sibi fingere poterat apud eos optimam et veram de judiciorum illorum origine vigere, qui ipsi judiciis praeerant (1).

Causa principalis (2), quae ab iis affertur, quare Carolus Magnus id fecisset eo redit, quod Saxones licet Christiani facti tamen fidem ei datam, tam citius fallerent, quam facere possent unde imperator eos tantum saevitia et severis institutis coerceri posse putavisset. Narrant ad ornandum fabu-

(1) Unus alterve eorum tamen dubitat: » Ock schole gy wetten dat » de Vrygreven in Westphalen nene bewysinghe en hebben eres Richter » vom Konnynck Karle, sunder alle yar hebben se een Cappittel, dar » setten se wat onen in dat Hovet schud. Ock en is nicht loeflick dat Kon» nynk Karl so dul is gewesen dat he dem Volcke de by sinen tiden tho » dem geloven qwemen aunde unhorsam weren unde mer bevlecket myt » mysdaden, dan dat andere Volk in anderen landen unde noch krank » an dem Cristliken loven was, zolde eyn sullik vorverlich Richte dat » tiegen alle redelicheid is, in der wyse als me des nu bruket, oven » ander olde gude Cristene lande gegeven hebben." Documentum apud Berck, l. l. p. 469. Cf. ibidem, p. 193 et p. 248.

(2) Alia adhuc minus honorifica affertur in documento apud Hahn, *Coll. Monum.* II, p. 598, et Wigand, l. l. p. 10. » Den Westphälischen » ist es gesezt worden, und keinem lande meer. Dann in dem lande » die leut von Natur zu ubel und unbillichen Sachen geneygt sin als » Ketzerey, Raube und Diepstall."

lam istiusmodi (1). » Ut fertur misit Rex legatum Romam ad Leonem Papam, pro consilio habendo de rebellibus istis, quos nulla poterat » diligentia ex toto compescere aut exterminare. » Ast sanctus vir, audita legatione, nihil prorsus » respondit sed surgens ad hortulum ivit et zizania cum tribulis colligens, supra patibulum quod » de virgulis fecerat suspendit. Rediens autem legatus haec Carolo nunciavit, qui mox *jus vetitum* » instituit, quod usque in praesens *vemae* vocatur."

Repugnat vero haec, de Carolo Magno conditore judiciorum vemicorum, opinio fidei historicae, quae nos docet Carolum Magnum post bella acerrima cum Saxonibus gesta, iisque tandem devictis, non tyrannidis instar crudeliterque in eos saeviisse sed iis eadem jura ac Francis tribuisse et ejusdem imperii formae participes fuisse. Semper enim aeque privilegia populi Saxonici ac leges constitutas et consuetudines inveteratas in honore habuit. Nullas iis obtrusit leges sed ipso po-

---

(1) Sunt verba Werneri Rolevink, qui vixit tempore Friderici III. (1440-93) et scripsit librum *de antiquorum Saxonum situ et moribus*. V. Eccius, l. l. p. 18, et Wigand, l. l. p. 10.

pulo eas examinante, iisque in *placitis generalibus* suffragrante, novae ab eo introductae sunt leges (1).

Alii aliis ad hoc refutandum argumentis usi sunt v. c. quod Eginhardus, in vita Caroli Magni, de iis altum silentium teneret; ipsis praeterea scabinis et medii aevi scriptoribus, hac in re, non fidem esse habendam, quippe quorum hi nimis a Caroli aetate essent remoti, illi vero ad auctoritatem suam stabiliendam istam narrationem de origine invenissent (2).

Aliam opinionem professi sunt alii dicentes, Carolum Magnum judicia vemica quidem in Westphalia instituisse, sed non ea forma qua vestita postea tantopere innotuerunt (3).

Sed revera Carolum in Westphalia tribunalia instituisse saltem eorum formam mutasse negari nequit, unde istius sententiae fautores aeque faciunt ac si opinionem supra laudatam de Carolo

---

(1) Cf. Wigand l. l. p. 12.

(2) V. Berck, l. l. p. 240: Eccius, l. l. p. 16 sq.

(3) v. c. *J. P. Datt, de pace imperii publica*, Ulmae 1697, L. IV, C. II, N°. 35.

Magno instauratore, refutent, quia unice hic quaeritur, quid iis originem dederit (1).

Tertiam eamque, judice Wigand, veritati multo propriorem opinionem professus est egregius ille historicus Möser (2): putat originem judiciorum vemicorum posterioris aetatis in *Missis regiis* esse quaerendam. Docet enim Missos regios placita generalia habuisse, ubi omnia, quae rem publicam spectabant, tractabantur sed inprimis in delicta ab imperatoris officialibus commissa inquirebatur: praeter illa autem placita generalia adhuc missi regii instituissent *dies judiciales indictos s. placita specialia*, in quibus de rebus secunda instantia decernebatur vel contra tales personas, quorum citatio apud ordinarium judicem nullius effectus fuerat, nunc sententia ferebatur. Hoc supremum judicium verisimiliter *Obersale* dictum fuit et postea Judicium *Vemicum* (3). Recte autem Wigand (4) observat

(1) V. Berck, l. l. p. 249. Eccius, l. l p. 18. Kopp. l. l. p. 4.

(2) *Osnabrückische Geschichte*, Berolini 1819, vol. I, p. 260. Cf. Hütter, l. l. p. 24. sqq.

(3) Möser, l. l p. 261; nota *b*. Cf. quae ad hoc refutandum annotavit Wigand, l l p. 135, N°. 28.

(4) l l. p. 8.

judicia non unice, ne que pure ex missorum regiorum placitis orta fuisse sed tamen in eo convenit cum Möser, quod etiam putet eas missiones vim suam in judicia vemica exercuisse (1).

Alias opiniones levioris vel minimi fere momenti leviter tantum commemorantes, ut eo citius ad gravioris momenti perveniamus, sufficiat monuisse, etiam fuisse, qui judicia vemica a judiciis synodalibus (Geestelijke Zendgerichten) deducerent (2): alius vero putavit Pontificem Romanum ea hanc ob causam a clericis Westphalicis institui curasse ut eorum auxilio et potentia fretus, imperatoris adhuc magis frangeret potestatem (3).

Differunt ab iis alii auctores qui institutionem judiciorum vemicorum tribuunt Engelberto, Archiepiscopo Coloniensi, aequali Friderici II, et impe-

---

(1) Jam ante Möserum, C. G. G. Lodtmann, in *Prolus. Acad. de origine judiciorum Vemicorum* (Helmstadii 1751) p 15, sqq. eandem fere professus est sententiam, sed uti recte observat Möser, p. 262, *c*), differentiam placitum generale inter et speciale, in quo tantum citati veniebant, non sentiit.

(2) v. c. *Boehmer*, *Jure Ecclesiast. Protest.* apud Berck, l. l. p. 250, Kopp. l. l. p. 6.

(3) Sic. Eccius, l. l. p 21 sqq. cf. Berck, l. l. p. 250.

ratore absente, ab eo interea Rector Germaniae creatus (1). Sed nullum exstat documentum authenticum aut historicum, eum sive in Westphalia tantum sive in tota Germania, curae suae mandata, ea instituisse judicia.

Fuerunt et qui putaverint illa judicia initio *judicia denunciatoria* (Rügegerichte) fuisse, quae postea majorem potestatem sibi arrogassent (2). Majoris vero momenti ad veritatem hac in re detegendam sunt opiniones Berckii et Kindlingeri.

Berck nimirum non alienus esse videtur ab opinione ac si bannitio Henrici Leonis, Ducis Saxoniae, (anno 1180), et inde in Saxonia fracta Ducis potestas, occasionem atque originem hisce judiciis dederit. Post hunc enim eventum prodeunt apertius judices vemici ad maleficos coercendos, qui ἀναρχία, eo tempore, in Westphalia vigente, utebantur ad quae animus iis suggereret perpetranda (3). Vim certe magnam iste eventus in judicia vemica formanda

(1) v. c. Haltaus in *Gloss. Germanico* v. *Faeme*, cf. Berck, l. l. p. 251, Eccius, p. 20, sq. et Wigand, p. 9.

(2) v. Berck, l. l. p. 252 et Eccius, l. l. p. 24.

(3) l. l. p. 254, cf. Wigand, p. 8.

exercuit, non vero principalis eorum fons exstitit. Kindlinger rem multo altius repetit ejusque opinió nobis accuratius investiganda est (1).

Quum Carolus Magnus, post bellum 33 annorum, tandem Saxones subegerat, stipulati sibi erant Saxones, ea, quae poeta Saxo memorat

»Sub judicibus, quos Rex imponeret ipsis,
»Legatisque suis permissi legibus uti
»Saxones patriis (2).

Ab eo inde tempore imperator *comites* ad justitiam exercendam instituit, locum praecedentium judicum territorialium (*Landregters*) occupantes. (Kindl. III, p. 158, sqq.) Judicia illa comitum, *placita comitis* (*Gravengerichten*) dicta, bis vel ter, singulis annis, in loco jam diu in eundem usum adhibito, sub dio, habebantur. Aderant omnes *liberi*.

---

(1) In operis egregii *Münsterische Beiträge zur Geschichte Deutschlandes, hauptsächlich Westfalens,* volumine III, passim. cf. etiam vol. I. p. 18, sqq. In ejus sententia et sequentibus investigandis et devolvendis, hanc ob causam, forsitan justo prolixiores fuimus, ut eo facilius sequentia intelligerentur, et quasi horum introductionem efficerent.

(2) V. Leibnitz, *Script. ver. Brunsv.*, T. I., p. 153 et Kindl. p. 148 et 152. Tom. III.

i. e. villam possidentes, quapropter *Placita Generalia* (algemeene Graven-gerichten) dicebantur.

In iis ab omnibus in crimina inquirebatur eaque puniebantur, praeterea immobilium traditiones confirmabantur et ii quibus tradebantur eorum possessione investiebantur, lites denique civiles etiam decernebantur. Si autem unum alterumve horum fieri statim non posset sententia in sequens *placitum generale* differrebatur vel *dies singularis s. particularis* indicebatur, qui, ratione habita temporis conveniendi *extraordinarium* et ratione *placiti generalis*, *singulare* vel *minus placitum* dicebatur (1). In iis tantum aderant *Comes* (Graaf) vel ejus loco *Vicecomes* (etiam Vicarius vel Cancellarius dictus) et ii tantum Scabinorum (Schepenen) s. judicum, quibus indictum erat judicio s. placito ut et reis et testibus adesse. Cum plurima vero facta, post religionis Christianae in Saxonia introductionem criminis nomine indicarentur, (v. c. artium magicarum exercitio, sacrilegium etc.) quae antea a Saxonibus inter crimina non referebantur, saepe accidere debuit ut noluerint talia facta liberi, in pla-

(1) Kindl. III., p. 163. *h*).

citis tam generalibus quam singularibus, tamquam crimina, punire eaque saepissime absolverint. Quum igitur, hanc ob causam, non *omnes liberi* tales essent, qui recte et bene jus dicere possent, inprimis in sacrilegiis similibusque criminibus erga religionem perpetratis, imperator jussit ut »hi qui meliores et veraciores inveniri possint, eligantur a Missis nostris ad inquisitiones faciendas et rei veritatem dicendam et ut adjutores sint ad justitias faciendas" (1). Quapropter *publica generalia placita*, in quibus omnes liberi veniebant, non amplius de his rebus tenerentur et *singularia judicia* in eorum locum successissent, quibus tantum Comes cum Scabinis, reis et testibus aderant. Statuebant de delictis contra religionem perpetratis, Scabinis praeterea maleficos indicare necesse fuisse videtur. Cum autem alio loco (2), Capitularia statuant »si pro his mortalibus (criminibus) *latenter commissis*, aliquis sponte ad Sacerdotem confugerit et confessione data,

---

(1) In Capit. Anni 829, Tit. 2, Cap. 3, Kindl. III, p. 168. *c*). Cf. Wigand, l. l. p. 285. Nª. 22.

(2) Capit. de partibus Saxoniae, C. 14. Kindl, l. l. p. 169 f) T. III. Cf. Wigand, l. l. p. 287, Nª. 25.

agere poenitentiam voluerit, testimonium Sacerdotis de morte excuset," inde Kindlingero causa videtur orta, quare judicia illa *secreta* (i. e. *heimelyke* vel potius *stille gerichten*) dicta fuerint, quia tali judicio nullius fama laedebatur, cum non liceret Scabinis neque sacerdoti tale quid cuidam revelare. Si absens esset reus et citatus non veniret in *forbanno* (1) mittebatur et comes vicinis Comitibus notum faciebat talem esse *forbannitum*, ut illi eum non reciperent (2). Cum tamen Comites ad res militares agendas saepe longe abessent, loco eorum judiciis praeerant viri, qui *Judices*, *Vicarii Comitum*, *Vicecomites*, *Centenarii* dicebantur (Kindl. III, p. 175).

Per plura sequentia saecula eadem fere forma judicia habita sunt, plura instituta v. c. bannus militaris (*heerbaan*) perierunt, Clerici vel Laici, officiales imperii, jure quasi hereditario comitatus possidebant et duces totius populi facti, caeteris tamquam vasallis imperare incoeperant. Sed

(1) *Forbannire* idem est ac *verveemen* s. *vogelvrij verklaren* (proscribere).

(2) Capit. A[ni] 809, Cap. 32. Kindl. l. l. III, pag. 170 i).

omnia illa, uti rectissime observat Kindl. III, p. 179, hoc modo accidebant ut nulli eorum initia et incrementa in oculos caderent.

Judicia comitum sensim paulatimque tamen multas ob causas, inprimis ob exemtiones ad angustiores fines redacta fuerunt. Episcopi enim, jam inde ab aetate Caroli Magni in clericos suos vel colonos, villas ecclesiae inhabitantes, nacti sunt aliquam potestatem judiciariam sed illi, qui hanc potestatem, loco episcopi vel abbatis exercebant et Advocati (*Voogden*, *Vogte*) dicebantur, eam extenderunt, usque demum *banno régio* vestiti, plane fere sese judiciis comitum subtraxerint.

Alterum damnum judicia comitum passa sunt per nexum feudalem (*Leenmanschap*) de cujus litibus in proprio judicio (*Manngericht*) cognoscebatur. Praeterea plures in diem ortae sunt urbes recentes, quae territorio suo, et inde jurisdictione in eo, augendo etiam comitum jurisdictionem per exemtiones fregerunt. Hisce rebus autem factum est ut fines et territorium judiciorum Comitum tandem ita obscuratae atque discissae sint ut tantum viis regiis atque fluminibus amplius cohaererent et non uti antea unum quasi corpus efficerent sed

tantum e partibus, longe saepe a se invicem remotis, constarent.

Talis fere Saeculo XII^{mo} erat comitatus judiciorum conditio; regulariter jam curam justitiae exercendae remittet Comes *Vicecomiti* etiam *Liberorum Comiti* dicto. (Kindl. III, p. 190 sqq.)

De quibus antea tantum Comites ipsi statuere poterant v. c. de jure dominii, de libertate etc. de iis nunc etiam Vicecomites statuunt: cognoscunt nunc de omnibus criminibus tam majoribus quam minoribus, sine ulla distinctione an publice aut secrete essent commissa et quidem *in placitis singularibus* comitum, quum antea in iis tantum delicta contra religionem vel regem commissa judicarentur: caetera vero in *placito generali*. Ratio hujus mutationis partim inde quaerenda, quod hi, qui flagitium commisissent, plerumque in placitis generalibus se sistere non ausi sint, ast ergo de industria ad placitum singulare citari debuerint, quod cum semper fere accideret, moris tandem evasit ut non amplius crimina in placito generali dijudicarentur: partim etiam hanc ob causam, quod Laici illi, qui Clerum sequerentur, Vasalli et Municipiorum incolae non amplius in generale

placitum venirent, cum iis tribunalia propria essent et diversum a *liberis* ordinem efficerent. *Socii* (*Genossen Genoten*) enim soli placitum generale sequebantur, quare caeteri, crimen, quod pecunia redimi non posset, committentes de industria citari debebant; capitalia enim crimina semper adhuc ad judicia Vicecomitis pertinebant sed de iis scabinis, ex ipsorum, e quo reus erat, ordine, electis, erat statuendum; valebat enim jure Saxonico regula, »parés tantum de paribus judicant. Cuique adhuc Saeculo 12mo licebat *judiciis* istis *publicis* adesse sed, uti Kindlinger, T. III, p. 193, observat, hac in re idem ac nunc saepe accidit, ut nemo adesset, nisi cui necesse erat, quapropter illa statuta et *publica* judicia comitum sensim formam *secretorum* assumserunt, in qua nemo nisi Scabini, et citati admittebantur et omnia publica et secreta crimina, modo essent *Femwroge* (1), in judiciis *singularibus*, nunc *secretis* dictis, cognoscuntur et puniuntur. Extra Westphaliae limites talia judicia nomen *Secreta*

(1) i. e. tale, cujus natura ita est ut judicium secretum de iis statuere possit v. c. crimen contra religionem.

judicia non acceperunt, quia in caeteris Germaniae provinciis, cum religio Christiana introduceretur, institutio, ut de criminibus religionem etc. spectantibus in singulari placito cognosceretur, non innotuit, neque umquam viguit, quia iis opus fuisse non videtur.

Licet autem in judicia initio tantum villam jure dominii possidentes venire possent, tamen multi postea aderant villas non jure dominii sed tantum pro reditibus vitalitiis aliove modo possidentes.

Tales autem non veri erant *Socii* (*Genossen*) judiciorum, quapropter Scabini et precones (*Fronen*) eligi non poterant, quia in judiciis comitum tamquam judices sedere tantum poterant *veri socii*. Praeterea *Vasalli* tantum de rebus feudalibus judicare poterant, uti *Ministeriales* de *Ministerialibus*. Haec fuit causa quare nonnumquam in actis judicialibus expresse mentionem facere incoeperint, hoc vel illud actum esse in *Libero Consilio*, *libero Placito Cometiae* vel in judicio cui praeter Comitem et Scabinos *Liberi* et *liber preco* adessent (1). Non opus quidem fuit hoc additamento, cum om-

(1) Kindl. III, p. 211 et 221 n) et o).

nes illa judicia cognoscerent, quare saepe etiam omitteretur, sed tamen nil novum atque inauditum erat, quia judicium Comitis in documentis Latinis, (*oorkonden* dictis), *Jurisdictio* vel *Bannus. comitis* et vulgo Germanica lingua *Freiding* et *Freigericht* dicebatur, licet nulla distinctio adesset (1).

Tali fere modo, de origine et fundamento historico judiciorum liberorum s. vemicorum ratiocinatus est Kindlinger, et omnibus fere locis, opiniones suas documentis authenticis confirmare conatus fuit. Recte nobis Wigand videtur statuisse Kindlingeri opinionem omnium praecedentium proxime veritati accessisse. Monet autem eum statuendo *judicia libera* et *judicia vemica* prorsus similia fuisse et mansisse, judicia posterioris aetatis, sive istud institutum quod foedere Scabinorum (*Het Schepenverbond*) exstitit, a praecedentibus liberis judiciis non satis distinxisse, praeterea multis cum aliis errasse in vinculo definiendo,

---

(1) Patet hoc luculentissime ex eo, quod affert Kindl. V. III, p. 212 et 222, exemplo, ubi nempe in scripto aliquo ejusdem judicis et ejusdém loci, judicium comitis, nunc *jurisdictio* vel *Bannus Comitis* mox vero *Freiding* (judicium liberorum) nuncupatur.

quo judicia illa, cum institutis temporis Caroli Magni conjuncta sint (1).

Penultimo loco nobis commemoranda est sententia Eichhornii, quae, judice Wigand, multo magis veritati accedit quam praecedentes sed cui tamen fatetur se in omnibus partibus consentire non posse. Eichhorn primus historiae juris Germanicae scriptorum fuit qui judiciis Vemicis dignum in illa historia locum concederet, cum omnes antecedentes ea tamquam aliquid plane extraordinarium et nullius momenti praetermitterent vel paucis verbis ea commemorantes rem tantum leviter et acu tangebant (2).

Eichhorn vero recte perspexit judicia vemica talia esse judicia, qualia ipsum territorum Westphaliae ex propriis causis produxit (3). Dicit judicia libera fuisse judicia a judiciis *Gogerichte* dictis diversa et non dependentia, quae de liberis tantum judicabant et quorum judices banno regio adhuc ab ipso imperatore investiebantur. Causa hujus

(1) Wigand, l. l. p. 7 sq. Cf. Kopp. p. XXII et sq. in praef. Berck, p. 252 sq.

(2) Cf. Wigand, p. 1, sqq.

(3) *Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte*, Vol. III, § 419—20. (Ed. 3tia. Gött. 1822. p. 170 sqq.)

rei inde esset quaerenda, quod clerus in Westphalia maxima territoria possideret et horum judices Advocati (*Vogte*) dicti, ab ipso imperatore regio banno investirentur unde provenisset, ut, cum clerus possessionem ipsius pagi comitatus (*Gooigraafschap*) nactus esset, etiam Comites, quos iis praeponere, propria auctoritate, ausi sint, etiam ab imperatoribus investiri curaverint. Hoc in Westphalia diutius obtinuisset quam alibi, quod ex eo probari posset quod Henrico Leoni (A°. 1180) adhuc competisset jus omnes comites pagi (*Gooigraven*) investiendi, quod Archiepiscopus Coloniensis postea nactus esset (*1*). Cura officii Comitis pagi (*Gooigraaf*) per investituram comitibus erat relicta, qui rursus justitiae curam officialibus, qui dicebantur *Dinggrave*, *Richter*, *Frigravii*, *Liberi Comites*, *Comites*, *Judices Liberorum*, eorumque jurisdictio *Comecia libera* vel simpliciter *Comecia*, mandassent. *Comecia libera* postea in *plures sedes* divisa fuisset, quas alienare potuissent possessores (2).

---

(1) Recte negat Wigand, l. l. p. 153, ducem Saxoniae jus habuisse comites *gooigraven* dictos investiendi, liberos tantum comites investire potuisse videtur.

(2) Recte Wigand, l. l. p. 154, 2), negat jurisdictionis circuitum vice-

Cum autem jura majestatica possessores territorii in ipsum territorium nacti essent, non potuerit, quin Vasallos suos judiciis ordinariis detraherent iisqui nova constituerent, quae Gogerichte dicebantur et quorum judices ab imperatore investiri non opus iis videbatur. Competentiam quae dicitur civilem igitur judicia libera nunc amisissent eaque ad territorii ipsius possessoris judicia, *Gogerichte* dicta, translata fuisset (1).

Saeculo autem XIII^mo^, postquam Archiepiscopus Coloniensis Ducatum in Westphalia et Angaria nactus erat, hic summo ope studuisset ut potentiam suam augeret, quod ei partim saltem bene cessit, ita scilicet ut summa judiciorum liberorum cura ei commissa tandem fuerit. Hujus muneris ope plura in judicia Libera inducere potuit, quae iis plane contraria et opposita erant; inde igitur explicandum, quod judicia libera dein *Stillgerichte* (*heimliche Gerichte*, *secreta judicia*, *judicia privata*, *vetita judicia*, *verbotene Gerichte*) facta sint,

---

comitis vel officialis, comeciam liberam generaliter dictam fuisse, quia tunc tota Westphalia in comecias liberas divisa fuisset, cum contra liberae comeciae comeciis, *Gooigraafschappen* dictis, opponuntur et simul existebant.

(2) Cf. Wigand l. l. p. 154, 3).

quo nomine ante saec. XIV in nullo documento insigniuntur, neque *judicia Vemica* (licet nomen *Veme* jam antea occurrat) prius dicta sunt, quia hoc nomine *summa* s. *sanguinis judicia* indicabantur.

Ultimo denique loco nobis Wigandii sententia de origine judiciorum vemicorum est exponenda, quae expositio adeo difficilior est, quod eam non, uti feres omnes caeteri, in lineas paucas contraxerit sed cum toto opere ita contexerit ut non nisi imperfecte et summatim (nisi justo longiores esse velimus) ex eo effici possit.

Monet plurimas easque diversissimas de ea re sententias semper tamen aliquid veri continere, plures enim fuerunt rerum eventus qui vim suam in illa judicia exercuerunt, sed cum multi uni illorum tribuerent quod omnibus erat tribuendum, non poterat quin numquam veram ad originem inveniendam detegerent viam.

Statuit autem:

1°. Judicia vemica historice cum institutis Caroli Magni conjuncta sunt. 2°. Numquam, tali forma induta, quali posterioribus temporibus (i. e. saeculis inprimis XIV^{to} et XV^{to}) innotuerunt, instituta

sunt et adhuc multo minus apud Saxones introducta, sed consuetudo et temporum eventus varii originem, vim et formam posteriorem iis dederunt.

Hisce praemissis transit auctor ad utriusque effati demonstrationem, in qua sic agit ut descripta Saxonum ante Carolum publica et privata conditione, inquirat in vim, quam Caroli Magni in Saxonia instituta in justitiae exercendae conditionem exercuerint.

Populo scilicet in tres ordines (standen) antea diviso, *Nobilium*, *Liberorum* et *Litonum*, (1) accedit quartus ordo, *Clerus*, qui quoad jurisdictionem immunitate quadam gaudet et fere prorsus cum suis a caeteris separati in levioribus criminibus *Advocatis suis* (*Vogte*) subsunt. Praeterea aeque ac hi student officiales imperatorum ut liberos ad sibi submissiorem conditionem redigant. Nascuntur inde ordines Litonum inferiores, qui *Servi* et *Ancillae*, *coloni*, *ministeriales*, etc., vocantur.

Multi enim liberi necessitate coacti vel praemiis speve futuris aliisque modis pelliciti jungunt sese

(1) *Liber* in Germania quisque dicebatur qui villam libere possidebat; *Litones* (Lites) liberis serviebant, v. Wigand, l. l. p. 14, sqq.

sive Clero vel istis nobilibus officialibus, favore et auxilio eorum fruituri, quare Liberorum numerus gradatim minuitur.

Imperium in pagos (Gauen, Gooijen) (1) dividitur; cuique eorum praeest *Comes* (Graaf). Praeterea in partes quasdam pagus divisus videtur, quibus praesunt *Vice-comites* s. *Vicarii comitis* (2).

Comes qui praeest pago (Gaugraaf) vulgo *Comes provincialis*, *summus Comes* (Landgraaf) nominatur ut distinguatur a caeteris, qui partibus tantum pagi praesunt: eligitur ex *nobilibus*, Vice-comites vero ex *liberis* electi, dicuntur *Liberi Comites*, *Comites liberorum* (Vrijgraaf). Hoc nomen, labente tempore, majorem acquirit vim quam antea, nam cum Nobilium aut cleri bonorum, *curtes*, (*hoven*) dictorum numerus augeretur et inde immunitates et exemtiones accresserent, illae curtes et caetera bona immobilia jurisdictioni liberorum exemta, nunc bona liberorum superstitum a se invicem separant et nomen istud usurpatur ad judices liberorum diver-

(1) Wigand, l. l. p. 30. N^{a}. 5.

(2) Apud Francos viguit divisio in *centenas*, quibus praeerant *centi* et in *Decanas*, quibus praeerant *Decani* sed haec divisio, eo scilicet nomine, insignita, in Germania non occurrit.

sos a judicibus cleri vel nobilium subditorum significandos.

Placita *generalia* ter in anno in Mallo (*Male*) antiquo habentur, *singularia* quandocunque comiti placeat (1); illa vocantur *das Ungebott* (onopontboden), haec *das gebotene Ding*. Placitis singularibus non nisi qui litigant aut judicant vel testificantur adsunt (2). Sensim nobiles adsumunt titulum *principes:* ex liberis vero novus prodit ordo, *Equitum* scilicet et numerus eorum in diem decrescit juraque liberorum in toto imperio Germanico mutantur et evanescunt, una tantum in Westphalia excepta, cujus incolae, veterum jurium et consuetudinum tenaces, non adeo facile et libenter in conditionem pejorem aliorum transeunt. Manent ibi liberi, tales subditi, quos inter et imperatorem relatio adhuc directa intercedat, subsunt igitur adhuc judicibus ab imperatore ipso investitis et suffragia in judiciis ferunt more patruo aliisque denique se gloriari possunt juribus. Caeteri vero omnes subsunt judiciis cleri vel Nobilium, neque di-

---

(1) Wigand, l. l. p. p. 70 sqq.

(2) Capit. 5 Ludovici Pii Anni 819. Cap. 14.

recte imperio serviunt aut ei tributa solvunt. Saecalo XIII^mo exeunte, dignitas autem liberorum tantopere decreverat ut eorum ordinis nil nisi vetus aliquis forma remaneret atque caeteri fere amplius nesciant, quid nomen istud significet (1).

Interea in tota Germania magnae oriuntur vel jam ad finen perductae sunt commutationes. Imperatores enim, ad quos antea omne territorium et reditus inde profluentes pertinebant, sensim et liberalitate et debilitate aliisve ex causis omnia illa fere amittunt. Nobiles et clerus, domini territorii facti, jura territorialia s. majestatica (Lands-heerlijke regten) in eo exercent; Liberorum autem judicia in Westphalia adhuc existunt. Propter ignorantiam rei enim, impotentiam forsitan ea exstirpandi vel antiquitatis reverentiam domini territoriales in Westphalia concessisse videntur ut parvus iste numerus liberorum non ordinariis territorialibus judiciis (Gaugraven gerichte) subessent sed sub comitibus suis placita antiqua tenere pergerent. Archiepiscopo Coloniense vero duce Saxoniae; Anno

(1) Wigand, p. 100 N^a. 13 »ii qui dicuntur libere condicionis qui »vulgariter vryen appellantur" etc. Ita in documentis vocantur.

1180, creato, eique postea jure cum banno regio investiendi dato, etiam auctoritas dominorum territorialium in Westphalia accrevit: student scilicet nunc hi ut comecias liberas cum territoriis suis coalescant; incipiunt de iis tamquam de bonis propriis statuere et tributa eorum sibi, et non, uti antea, imperatori, colligere. *Sedium domini* (stoelheeren) in posterum dicti, comites liberorum duci vel imperatori investiendos offerunt. Tandem judicia libera innumeris exemtionibus discissa et a territorialibus dominis oppressa, ita diminuta sunt, quod ad numerum liberorum iis praesentium attinet (1), ut a toto interitu non longe abfuisse videantur. Sed unicum quod iis supererat remedium ad potentiam amissam et gloriam pristinam recuperandam, adhibuerunt, eo arctius nempe sese conjunxerunt et societate, ut videtur, quadam, vulgo societate vel Foedere Scabinorum (het Schepenverbond) dicta, inter se inita, competentia vero civili post longas altercationes perdita, tamquam judicia criminalia et *Vemica* ad summam istam potentiam

(1) Wigand, l. l. p. 144. Sic v. c. A°. 1205, placito comitis adsunt tantum 2 nobiles et 3 scabini.

pervenerunt, qua ornata per totam Germaniam tamquam judicia Westphalica innotuerunt, quin ac si essent privilegium Westphaliae tantum concessum, a caeteris originis et fatis eorum ignaris, considerarentur (1).

(1) De causis ob quas judicia libera judicia secreta (stille gerichten) facta sint et competentiam civilem amiserint, deque foedere scabinorum agemus in Cap. II. Satis sit ea hic tantum leviter indicasse.

§ 2.

DE JUDICIORUM LIBERORUM AUCTORITATIS JUDICIARIAE FUNDAMENTO.

Plures antea putaverunt judicia libera esse judicia particularia extraordinaria, i. e. talia, quae plane a caeteris territorii judiciis, inde ab origine, diversa, privatis ab imperatoribus Germanicis vel ab aliis data essent. Error facile oriri potuit, nam eo tempore, quo vim jam maximam habebant, ipsi aequales nesciebant unde illam jurisdicendi potestatem judices liberi acquisivissent. Imperator Carolus IV, qui saeculo XIV (1346—78), Germaniae praefuit, ipse nesciisse videtur, quodnam vinculum eum inter et judicia libera intercederet. Patet hoc ex eo, quod Abbatiae Corbejensi jus dederit *sedes liberas* (vrijstoelen) instituendi, quasi tale jus privilegium esset. Recte autem Abbaia

animadvertit tale jus se jam inde ab aetate imperatoris Ottonis (936—73) possidere, unde colligi et probari potest jus illud nil aliud fuisse nisi partem veteris Comitatus, quem jam saeculo X^{mo} acceperat (1).

Judicia libera vero sunt judicia ordinaria, quae labentibus saeculis jus conservarunt ut intra fines certae cujusdam jurisdictionis, de liberis eorumque bonis hujus jurisdictionis, jus dicerent. Sequitur inde eorum judices uti antea sic et nunc ab imperatore Germanico vel, ejus nomine, ab aliis, judiciaria potestate investiri debere.

Ab imperatore enim omnis judiciaria potestas oriebatur (2). Non tantum ejus auctoritate judices sententias ferebant sed ipsi Imperatores saepe judiciis praeerant, quod tempore Caroli Magni jam accidit (3). Propter magnum autem litium nu-

(1) Wigand, l. l. p. 136 sq. Verba ipsa privilegii sunt apud Kopp., l. l. § 70.

(2) » Der oberster Richter aller wertlichen Gerichte unde Fonteyne » der Gerechticheyt." Script. Auth. apud Kopp., l. l. § 225 en § 234.

(3) Wigand, l. l. p. 42 sq. Capit. Lib. 3, 77, » ut Episcopi, Co» mites et potentiores, quique si causam inter se habuerint ac se pa» cificare noluerint, ad nostram jubeantur venire praesentiam."

merum non poterat quin varii instituerentur officiales, qui justitiae exercendae praeessent. Occurrunt igitur inter alios *Comes Palatii* (Palsgraaf) et *Apocrisiarius* (Aartskanselier), qui in palatio imperatoris, *Missi* (Zendgraven), qui in provinciis jus dicunt. Singulis *pagis* (Gauen, Gooijen), praesunt *Comites*, eorumque partibus in Germania vicarii, vicecomites (1). Si non etiam aliis in regionibus, in Saxonia saltem Comitibus expresse jus datum est, quod summo *Banno* puniri possent (2). Postea cum in Westphalia pars judiciorum, non uti caetera territorii judicia mutata sed forman suam antiquam conservaverat, etiam homines ad haec judicia pertinentes et *Liberi* (*vrije*) dicti, judicibus particularibus suberant i. e. talibus judicibus, qui de eorum personis et bonis jus dicerent, non tamquam officiales territoriales sed tamquam judices imperatoris, sub banno re-

(1) Wigand, l. l. p. 33.

(2) Capit. de part. Sax. c. 30. Observat. Wigand, l. l. p. 45, Na 30, tale jus vim habere potuisse ad posteriorum judicum Vemicorum de summa eorum potestate opinionem excelsam nutriendam.

gio (1) justitiam exercentes, quorumque jurisdictio *Comecia libera* (vrijgraafschap) eorumque tribunalia, *judicia libera* (vrijgeregten) dicebantur (2).

Quamdiu Duces Saxoniae (3) praesunt, hi Imperatorem in Saxonia repraesentant; militiam enim curant, placita tenent, summam justitiam in causis secundae instantiae vel denegatae justitiae exercent, banno denique regio comites liberos feudo et nomine imperatoris investiunt (4).

Duce autem Saxoniae, Henrico Leone, in bello cum Imperatore, Saeculo XII exeunte, victo, Bernhardus ab Anholt, dux quidem creabatur sed Ducatum in territoriis suis, in Saxonia sitis, plures alii acquisivisse videntur, certo certius saltem Ducatum in diocoesi sua et in diocesi Paderbornensi Archiepiscopus Coloniensis nactus est (5).

(1) Onder Koningsban; etiam bannus imperialis dictus: » coram.. » qui tunc temporis bannum imperialem in loco" ... administrabat. Docum: A. 1184, apud Wigand, l. l. p. 131.

(2) Wigand, l. l. p. 130.

(3) Kopp. l. l. §. 251 putat esse laborem inanem et infructuosum inquirere in jura et potestatem ducum Saxoniae in libera judicia, quippe quod eorum aetate nondum exstitisse videantur. Contrarium verum est.

(4) Wigand, l. l. p. 183.

(5) Wigand, l. l. p. 181 sqq. et Kopp., § 251 ubi sunt diplomatis

Licet igitur Archiepiscopus Coloniensis partis tantum Westphaliae, i. e. totius regionis, ubi adhuc erant judicia libera, dux esset factus, tamen auctoritatem suam sensim supra omnia judicia libera extendit, ita quidem ut sibi dominus omnium sedium liberarum videretur (1).

---

verba, hic ob grave illius momentum descripti. Datum est A[c]. 1180 ab imperatore Friderico I, Philippo Coloniensi Archiepiscopo.

»Nos itaque, habita cum Principibus deliberatione, communi ipso»rum consilio *ducatum* qui dicitur *Westphalie* et *Angarie* in duo di»visimus, et consideratione meritorum, quibus dilectus Princeps noster »*Philippus*, Coloniensis Archiepiscopus, ob honorem imperialis corone »promovende et manutenende, nec rerum dispendia nec persone for»midans pericula, gratie imperialis promeruit privilegium, *unam par»tem*, eam videlicet, *que in Episcopatum Coloniensem et per totum »Episcopatum Patherburnensem protendebatur*, cum *omni jure* et »*jurisdictione*, videlicet cum *comitatibus*, cum *advocatibus*, cum *con»ductibus*, cum *mansis*, cum *curtibus*, cum *beneficiis*, cum *ministe»rialibus*, cum *mancipiis* et cum *omnibus ad eundem Ducatum per»tinentibus* Ecclesie *Coloniensi* legitimo donationis titulo imperatoria »liberalitate contulimus, et requisita a principibus sententia, an id »fieri liceret, adjudicata et communi principum et totius curie con»sensu approbata, accedente quoque publico consensu dilecti consan»guinei nostri *Ducis Bernhardi*, *cui reliquam partem ducatus con»cessimus*, prememoratum Archiepiscopum *Philippum* portione illa du»catus sue, collata exclesie, vexillo imperiali solemniter investivimus" etc.

(1) Wigand, l. l. p. 193. Causae afferuntur ab hoc p. 194 sqq. et a Kopp., l. l., §. 264 sqq.

Inde explicandum, quod, cum Imp. Ludovicus Bavarus, A°. 1332, episcopo Mindensi jus concederet (1), sedes liberas in diocesi sua erigendi et Carolus IV, A°. 1354 (2), hoc jus confirmasset, tamen idem Imperator, anno sequente, illud cum omnibus similibus, ab avis ejus concessis, privilegiis revocaverit, quia Archiepiscopus Coloniensis, tamquam solus sedium liberarum, in Ducatu Westphaliae, dominus, credebat jura sua hisce privilegiis esse violata (3).

Cum autem officia Ducis Westphaliae plane fere quo ad caetera evanuerant quia curam rei militaris Archiepiscopus Marscalco Westphaliae (4) mandave-

---

(1) Hoc jus dicebatur, *ein fryherzogthum.* Sic in privilegio laudato »ein *fryhertzogtdom* in dem Stifft to Minden und *fry Gerichte* darinne »to sittende und Kenniges Banne, nach Vemerecht, also in dem »Lande Westfalen recht is — und Frystete in dem Hertzogdom to »haven — to leggende, wer se eme oder syner Nakomenen hevellich »syn" etc. V. Kopp., l. l. § 92, § 276 et § 166.

(2) V. Kopp., l. l. § 93, ubi est diploma et § 275, ubi exstat revocatio.

(3) V. Wigand, p. l. § 195, ubi sunt verba ipsius revocationis. Alterum ejusmodi exemplum praebet, Kopp., l. l. § 277, est Anni 1360.

(4) V. Wigand, l. l. p. 190. Cf. de eo Kopp., § 266—273.

rat, accidit, ut postea Archiepiscopus Coloniensis titulo *Gubernatoris* et *Custodis* (Stathalter und Verweser) judiciorum liberorum insignitus sit (1). Jura hujus tituli et muneris erant fere sequentia: potestas Imperatori comites liberos ut cum banno investirentur offerendi: postea, A°. 1382, ab Imperatore Wenceslao jus acceperunt, ut ipsi cum banno investire possent, quod antea semper apud Imperatores fuerat (2).

Praeterea a Carolo IV, A°. 1359, jus acceperunt omnes comites liberos, officium suum negli-

---

(1) Sic in docum: apud Kindl., l. l. III. 2, N°. 211 p. 623: vocatur »Her Herman Ertzbischop zo Collen.... Hertoch zo Westphalen »und zo Engeren, Statthalder und Vorweser der frienheimlichen Ge»richte" etc. Cf. Wigand, l. l. p. 198. Kopp., l. l. § 274. In alio documento apud Kopp., § 292, Anni 1470 dicitur, »eyn uffsehener und verweser der ffrienheimlichen Gerichte."

(2) Wigand, l. l., p. 196. Verba documenti sunt apud Kopp., § 283 sqq. Antea clero jus bannum regium s. sanguinis (Bloedban) accipiendi, exercendi et cum eo investiendi non licitum fuit sed A°. 1298, Bonifacius VIII, hac in re libertatem clero concessit. V. Kopp., l. l. § 239 et § 284. Berck., l. l. p. 350. Aliis jus investiendi Archiepiscopus dare non potuit. V. Kopp., l. l. §. 236. Si Comes liber, banno nondum investitus, tamen judicio praeesset, linguam amittebat »de weddet syne tungen." Cf. Berck, l. l. p. 351.

gentes, dimittendi (1): omnia praeterea Imperatoris jura quo ad summam judiciariam potestatem in ejus loco exercere poterant. Judiciis liberis adesse curamque supremam de iis exercere et liberos scabinos (vrijschepenen) eligere poterant: tribunali denique liberorum comitum, sedium dominorum et scabinorum in quo querelae audiebantur, reformationes edebantur et in rebus secundae instantiae judicium ferebatur, tali tribunali, quod nunc Arnsbergi habebatur praeerant (2).

Cum autem vis et potestas judiciorum vemicorum ad summum fastigium pervenerant, Archiepiscopi Colonienses eorum potentiam quodammodo metuere coeperunt, qua propter summa ope nixi sunt ut jura sua acquisita iis imperatores renovarent et confirmarent, quin et extenderent (3).

Jusserunt, hanc ob causam, imperatores, inter alia, omnes comites liberos, ut Archiepiscopo obedientiam praestarent (4) et jus dederunt condem-

---

(1) Diploma receptum est apud Wigand, l. l. sub N°. XII.

(2) Wigand, l. l. p. 202. Antea *Dortmundi*, v. infra. §. 4.

(3) Idem, l. l. p. 201. et Kopp., l. l. §. 264 sq.

(4) Hoc fiebat, A°. 1440 V. Wigand, l. l. p. 201.

natos a banno liberandi et in jura sua restaurandi (1).

Arcta etiam relatio erat Imperatoris cum summo judiciorum Vemicorum tribunali Westphaliae, scilicet cum Capitulo Generali quod Dortmundi et postea Arnsbergi habebatur, et de quo plura in § 4 dicemus. Praeses hujus judicii erat vel loco ejus Gubernator et Custos (Stathalter et Verweser), qui tunc, eadem auctoritate munitus, ei aderat. Singularum etiam sedium summus erat Imperator dominus et judex, nam bannus directe ab Imperatore proficiscebatur. Si in judicium veniret liber comes locum ei cedere debebat (2). Dominus sedis offerebat Comitem liberum Imperatori et hic eum banno investiebat, Comes liber contra jusjurandum obedientiae praestabat (3). A°. 1382 investiturae cum banno jus

(1) A°. 1353: exstat apud Wigand, l. l. N°. XI. uti tamen hoc jure non nisi rarissime potuerunt.

(2) Berck, l. l. p. 352 »edt en were dan dat unser gnedigster here de »Romessche Keyser edder Koninck sulves gweme von den frienstoll unde »wolde sytten, So sall de ffrigrave dan wyken unde enne sytten laten."

(3) Cf. Kopp., l. l. § 234, 288 sq. »daz er uns und unsern Nach»komen Römischen Keisern und Küningen getruw und gewertig sin »sulle Recht und redlich richten und alles das tun sulle und welle,

Archiepiscopus Coloniensis quidem accepit, sed exstant tamen exempla Comitum liberorum ab ipso Imperatore postea investitorum vel confirmatorum (1).

Imperatorem per se ipsum omnia jura exercere potuisse, quae Gubernatori et Custodi licebat, nemo infitias ibit, suprema igitur cura ei commissa, visitandi et reformationes instituendi potestas. Liberos comites in Westphalica terra designare et a munere rursus, justas ob causas, removere ei concessum. Per se ipsum de rebus cognoscere et lites judiciis detrahere poterat, si modo reus sese ejus sententiae submitteret (2). Praeterea condicere alicui poterat se salvum fore sed tantum in breve temporis spatium (3). Singulare denique illud no-

---

»das einem Friengraven zu tun geburet an alles geverde" etc. (In docum: Anni 1428).

(1) Wigand, l. l., p. 209. N°. 70. Kopp. l. l., §. 288 et Berck, p. 359.

(2) Wigand, l. l. p. 209. »Eyn Römisch König moge eijnem Freye-»graven wol verbithen nicht zu richten, unnd wolt er daruber rich-»tenn *so richte er uber sich selbst*:" Scitum (Weisthümer) frigraviorum Ani. 1405, apud Senckenberg, *Corp. Juris Germ.* T. I, p. 72, (Francf. 1760).

(3) »Auch so habe kein ander Herr macht solich geleit zu geben,

minandum adhuc, quod sententiae exsecutionem in 100 annos, 6 hebdomades et 1 diem differre potuisset (1). Supradictorum plura pertinent ad tempus, quo judicia libera jam secreta erant facta et competentia civili perdita, foedere inter se inito, vulgo foedere scabinorum (het schepen verbond) dicto, tamquam judicia *libera* sive *vemica* tantopere innotuerunt, relatio autem cum imperatore eo tempore fere eadem erat ac antea, plura vero eo tempore imperatores fecerunt quibus constaret se naturam et relationem judiciorum vemicorum plane ignorare, quorumque exempla praebet Wigand, l. l. p. 201 sq.

» dan de Römisch Konigk." Senckenberg, *C. J. Germ.* I, p. 74. Cf. Kopp. l. l. § 246.

(1) Idem § 233 et § 245.

§ 3.

DE PERSONIS ET BONIS QUAE JUDICIIS LIBERIS SUBJECTA ERANT.

Subsunt Judiciis liberis tantum *liberi* (vrijen) eorumque bona, *bona libera* dicta. Nonnullis enim in locis Germaniae Septentrionalis inprimis Saxoniae exstiterunt plures, qui, imperatorem unicum dominum et patronum ducentes, libertatis capti amore et servitutem vel feudale obsequium abhorrentes, avorum praeterea morum et consuetudinum tenaces, vim denique libertati illatam, vi repellentes, soli veterem conditionem et relationem cum imperatore conservaverint, cum omnes caeteri sese in tutelam cleri vel nobilium varias ob causas dedissent aut urbium incolae facti essent.

Liberi tales in Westphalia inprimis ob causas modo laudatas inveniebantur, quapropter eorum judicia, ab aliorum tam differentia, etiam *West-*

phalica judicia dicta sunt; caeterae enim circumjacentes gentes eorum originis et naturae ignari ea tamquam judicia de industria aut privilegiis huic regioni concessa consideraverunt (1).

Competentia, ut vulgo dicitur, judiciorum liberorum erat tam *criminalis* quam *civilis*. Jurisdictio eorum *Comecia libera* (Vrijgraafschap), ipsi judices *Comites liberi* (Vrijgraven) et *Scabini liberi* (Vrijschepenen) dicebantur. Sunt judices directe ab imperatore, nullo alio intercedente, pendentes: relatio igitur directa liberos inter et imperatorem adhuc intercedit, quae in caeteris Germaniae, praeter Westphaliam, partibus jam plane interierat.

Comecia quaeque *libera* constat ex territorio quodam definito, cujus fines jam aetate Caroli Magni quodammodo definitae fuisse videntur, licet nunc, per plurimas exemtiones dirutae et discissae, fere evanuerant. Carolus enim Magnus territorium Saxoniae victum in pagos (Gauen, Gooijen), eosque rursus in Comitatus (Graafschappen) divisisse vi-

(1) Wigand, l. l. p. 132, »per indulta et privilegia divorum Imperatorum et Regum Romanorum in Ducatibus, terre Westfalie dumtaxat et non in locis aliis introducta etc." Sic imp. Carolus IV in docum: Aⁿⁱ. 1374.

detur (1), cujus divisionis medii aevi temporibus adhuc fama quaedam superfuisse videtur: sic auctor anonymus in scripto aliquo insignito »Van deme Hemeliken Gerichte (2)" dicit »So delede he (Carolus M.) dat ganse land dat nu Westphalen heth uppe desse zide der Wesere in vele kleyner Gravescuppe lichte in hundert de nu en deel vorgheten sin." etc.

Jurisdictionem Comites possident (3), intra *bannum regium* (Koningsban), nam *bannus* etiam significat extremas alicujus jurisdictionis fines (4).

In quaque *comecia libera* (vrijgraafschap) sita

---

(1) Kindl. l. l. III, p. 82. Saltem hoc factum fuisse videtur si non re ipsa, tamen in scriptis publicis. Populo autem haec divisio si quidem innotuit, tamen ab eo recepta fuisse non videtur, easdem ob causas, ob quas nemo nostratium tempore dominationis Napoleontis ad Hollandiam Meridionalem significandam, usus sit nomine, Ostiis Mosae (Bouches de la Meuse), licet tamen ita tunc in scriptis publicis vocaretur.

(2) Apud Berck, l. l. p. 467 sqq. No. I.

(3) V. Kindl. l. l. III, p. 84, et Wigand, l. l. p. 104. Idem obtinuit in *pagis* (gauen).

(4) » In banno seu in terminis ville," Docum: Ani. 1274, apud Kindlinger, *Hörigkeit*, No. 36.

Bannus regius proprie significat fines regionis imperatori subjectae, inde ipsa imperatoris potestas, denique mulcta quae delicto, adversus eam commisso, imponitur. V. Wigand, l. l. p. 22, No. 21.

plura *malla* vel *sedes liberae* (vrijstoelen), quas possessores in mutuum dare, vendere vel oppignorare pro lubitu possunt, quique *Sedium domini* (Stoelheeren) dicuntur (1).

Tribus ex rebus consistit quaeque comecia libera: ex liberis (2), e sedibus liberis (3) et ex bonis sedium liberarum (4).

---

(1) Hoc tamen nomen non nisi serioribus judiciorum liberorum temporibus obtinuit, cum domini territorii *comeciam liberam* i. e. jurisdictionem in liberos, ita ipsi territorio adjunxerant, ut reditus judiciorum, qui antea ab imperatoribus accipiebantur, sibi ipsis colligerent et deinde de comecia libera tamquam de bono, quod alienari posset, et proprio disponerent. Sic, ut unum afferam exemplum, A°. 1311, Conradus de Rodenberg Comiti ab Arnsberg vendidit » *liberam Comeciam* apud Stochem, quam a venerabili patre D°. Archiepiscopo Coloniensi tenet in feodo" Kindl. l. l. III, N°. 111, p. 291. Cf. Wigand, l. l. p. 133, N°. 19, et p. 134, N°. 22.

(2) » Viro strenuo et honesto Domino Judiciariae sedis in Sendenhorst, quae vulgariter *vryestol* dicitur nec non et Comiti et *liberis* ad dictam sedem pertinentibus Kindl, l. l. III, N°. 91.

(3) Verbum *vrijstoel*, Wigand, l. l. p. 71, inde derivat quod judex in *loco* celsiore sederet *stelle* unde *Stolle*, *Stuhl*, *Freistuhl*. Sedes libera erat locus ubi judicium habebatur sic. » Cum ejusdem libere Comitie sedibus, que *Dinchstede* vulgariter dicuntur,". Kindl. III, N°. 91, p. 235. *Dinchstede* est locus ubi judicium tenetur.

(4) Bonis accedebant eorum reditus, et servitutes et tributa, quas

Comes, dominus sedium liberarum possidet judiciariam potestatem in liberos.

Cum igitur initio quaeque sedes libera quemdam circuitum regionis habebat intra quem jus dicere posset, postea per exemtiones et alias ob causas v. c. venditiones haec jurisdictio divisa et discissa fuit et nominatim jurisdictio ei tantum in certis hujus circuitus bonis liberis tribuebatur (1).

---

possessores jam diu praestare solebant, v. c, ea quae dicuntur, Mayet Herbstbede, Köningsdienst, Herschillinge, etc. quae olim ipsi imperatori praestare solebant. *Servitium Regis* (*Königsdienst*) olim erat onus gravissimum, de quo cf. Kindl. II, p. 96 sqq. et Wigand, l. l. p. 134, N°. 25. De *Herschillinge*, cf. Kindl. II, p. 182 h: vocabantur *redditus regii juris* inter quos et » qui vulgo dicuntur *Samhavere* vel avena comicie » uti in documento majoris pretii A[i] 1290 in *Archiv fur Geschichte* etc. V. II, p. I, p. 81 sqq. Onera ista non erant servilia sed mera fiscalia » quidquid juris in praenominatis agris (liberorum) habebat, quod ad *Fiscum regium* pertinebat, in manus nostras resignavit." Docum.: A[ni] 1177: quapropter licet ejusdem generis essent ac Litonum (Hörigen) tamen bona semper *Mansi liberi* (vrije vrijstoelgoederen) dicebantur et liberi non *jure Ministerialium* aut jure *litonum*, *colonum* etc. sed *jure libero* serviebant. Cf. Archiv. etc. V. II, P. I, p. 85

(1) Wigand, l. l. p. 134, N°. 22. Kindl. III, N°. 182 (p. 510) affert venditionem A°. 1390 sedis liberae, in Ascheberg, cum 9 bonis liberis, factam.

§ 4.

DE RATIONE JUDICIA LIBERA INTER ET CAETERA TERRITORII JUDICIA.

Ut relatio judicia libera inter et caetera Westphaliae judicia recte exponatur leviter etiam origo illorum judiciorum attingenda est.

Primo loco in censum veniunt judicia, quae dicebantur *Hofgerichte*, quae jam ante aetatem Caroli M. exstiterunt et inferioris ordinis erant, quare judicia ista jus tantum dicerent de nonnullis Mansis (Wehren, Erven) et ab iis tam ad judicia libera quam ad judicia Gogerichte dicta appellari posset (1).

Alterum Judicium quod uti in tota Germania

(1) Wigand, l. l. p. 140, N°. 42. De iis cf. Kindlinger, l. l. Vol. II, parte I, cui titulus, *Die aeltere Verfassung Westfalens*. Majora istius modi de pluribus Mansis judicia, *judicia Marcorum*, *Markengerichte* dicebantur. Plures enim *Mansi Marcam* efficiebant. Cf. etiam Wigand, l. l. p. 112 sq.

sic et in Westphalia quam maxime vigebat, erat *Judicium cleri* s. *Judicium Advocati* (Vogtding). Carolus Magnus enim ejusque successores magna clero in Germania privilegia concesserant: unum horum erat ut clerus ipse iique qui bona ejus incolerent, quoad delicta minora, non subessent judiciis ordinariis, scilicet comitum, sed propriis judiciis, quae Advocati judicia (Vogtding) dicebantur (1). Cum autem omnibus liceret ex *placito generali* i. e. Comitis, in judicium Advocati transire et bona ecclesiastica pluribus immunitatibus gauderent, numerus eorum qui suberant judiciis Advocati in diem crevit, cum plurimi cum bonis sese tutelae Ecclesiae traderent et tantum eorum usumfructum sibi reservarent (2). Jurisdictione ita amplificata, Clerus etiam studuisse videtur ut subditos a caeteris territorii liberaret judiciis, ita

---

(1) Cf. loci ex Capit. apud Kindl. l. l. II, p. 92, III. p. 64, et III, p. 187 a).

(2) Wigand, p. 126, N°. 5 » si aliquis *liber homo* in quocunque degens » comitatu se vel bona sua ecclesiae tradere voluerit, liberam potes» tatem habeat, sine cujuslibet comitis, Rectoris, Judicis provinciae » contradictione." A^{ni}. 1093. Mature sed fere frustra hanc libertatem restringere conati sunt imperatores, V. Kindl. l. l. III, p. 22 sqq.

quidem ut Litones (hörige) bona cleri inhabitantes subessent judicio Advocati (Vogtding); *liberi* vero istiusmodi bona inhabitantes *Comiti libero* amplius subfuisse non videntur. *Advocati* (Vogte) aeque ac Comites ab imperatore jus acceperunt, sub regio banno, jus dicendi (1), ab eoque igitur investiebantur.

Tertium judicium erat judicium quod dicitur *Gogerichte*. Proprie et antiquitus judex (Gogravius in actis publicis dictus) praefuerat toti pago qui Gau (nos Gooij) dicebatur, quique in plures partes divisus fuit. Postea vero cum per varias exemtiones per cleri et urbium nascentium territorium factas, pagus iste *Gau* dictus discissus erat et ejus fines fere evanuerant, judices tamen illorum pagorum adhuc aderant sed eorum relatio cum pagi veteris incolis plane mutata erat. Qui enim sese ecclesiae non tradiderant vel in urbes confugerant, plerique *vasalli* erant facti et ipsi Comites Gograven dicti territorium et inde jurisdictionem in eos in hoc

---

(1) » Hanc traditionem a Fritherico Comite, advocato ecclesiae apud » Balhcrnon *regali banno* firmatam et stabilitam banni nostri munimine » robovatimus. A°. 1123." Archiv. etc. I, s. p. 65 (*). Cf. Kindl. III, p. 184.

territorio habitantes sibi vindicaverant, cum antea jurisdicendi auctoritate ab imperatore ipso investiri debuissent. *Liberi* autem, uti jam in praecedentibus ostendimus, judicia sua conservaverant et judices ab iis electi adhuc ab imperatore ipso cum banno regio investiebantur. Utraque Judicia tam *libera* quam judicia dicta Gogerichte erant judicia suprema (Hochgerichte) (1), quae antea unum quasi corpus efficiebant et *placitum generale*, in quod omnes, praeter litones, veniebant, constituerant, usque dum *liberi*, nomine proprio insigniti, a *ministerialibus*, qui nobiles sequuntur, sese separant et *placitum liberum comeciae* constituunt (2).

In eodem loco, Mallo (Mahlplätz) dicto, jam ab antiquissimis inde temporibus in hunc usum adhibito, habentur, ita ut duo ista judicia in eodem loco existere possint et revera exstiterint. Unicum

---

(1) *Altum judicium* quod vocatur *Gogerichte* etc. Docum. Ai. 1317, apud Wigand, l. l. p. 141.

(2) Hanc ob causam in documentis (oorkonden) Saeculi XII adhuc sermo est, de rebus *in conventu populi in communi placito*, *in pleno placito* peractis. Postea sibi opponuntur, *in generali Ministerialium conventu* et *in conventu liberorum*. V. Wigand, p. 137, N°. 32, ibique loci laud. Kindlingeri.

discrimen quod intercedit efficiunt personae et bona de quibus in utroque judicio statuitur (1). Judicant enim judicia *Gogerichte* dicta de personis et bonis *ministerialium* s. vasallorum et Litonum ipsius Comitis (Gaugraaf). *Libera* vero *judicia* de bonis et personis liberorum. Nulla enim illis temporibus jurisdictio civilis sine territorii ipsius possessione, quapropter ub utraque parte summopere uti et a clero cavebatur ne, bonis immobilibus amittendis, ipsam jurisdictionem in iis amitterent sed potius ut eorum numerus et inde jurisdictio amplificaretur.

Si a sententia in judicio Gogerichte dicto, appellandum erat, non nisi ad summum istius modi judicium regionis appellari poterat et nulla appellatio ad judicia libera valebat (2).

Nonnumquam accidit ut Comes liber praeesset judicio Gogerichte dicto, quod magnam ansam praebuit ut vulgo non bene a se invicem distincta fuerint (3).

(1) Utriusque judicii quae dicitur competentia, tam civilis quam criminalis erat V. Wigand, l. l. p. 140, Na. 39.

(2) »bereip sick an myns gnedigen Heren van Munster *hogeste Gogericht*" tome Santwel. Kindl. l. l. T. II, N°. 63.

(3) Wigand, l. l. p. 140, Na. 37, ubi est exemplum hujusmodi rei.

Summum judiciorum liberorum tribunal Dortmundi jam inde a tempore Caroli Magni fuisse videtur. Dortmund, oppidum vetustissimum, semper fuit urbs imperialis libera (Vrije Rijksstad) ejusque tribunal directe ab imperatore pendens, privilegia accepisse videtur, quare et jam antiquitus Missi regii in eo degerent (1). Variis nominibus p. e. insignitus Germanice »*Kaiserliche Kammer* et *Spiegel* vocabatur (2). Postea nonnumquam ipsi imperatores judiciis Dortmundi (3) praesunt ad quod omnes Comites liberi venire debent et in quo de rebus secundae instantiae sententia fertur vel de eo quid juris sit actis, Weisthümern dictis, condendis, agitur. Cura vero suprema judiciorum liberorum Archiepiscopo Coloniensi data, fama et dignitas sedis liberae Dortmundi

---

(1) Derivant nomen Dortmund (Trutmannia) a Comite Truttman, A°. 789, a Carolo Magno in Saxoniam misso. Cf. Wigand, l. l. p. 26.

(2) Wigand, l. l. p. 204, N°. 57: »Zu Dortmund ein unsers Herren des Romischen Konigs Kammer, die man heisset den Spiegel."

(3) Hoc tempore Comes liber Dortmundi sedis »Erbgraf" dicebatur et semper aderat coronationi imperatoris, quae Aquis Grani locum habebat.

partim in Arnsberg transfertur, ubi Arch. Coloniensis Judicio praeest cujusque comes Summi Comitis titulum assumit (1).

Ultimo loco adhuc citanda sunt judicia urbium. Per privilegia enim (2) vel per sensim inveteratam consuetudinem jus nactae sunt plures urbes ut judicibus propriis subessent, quod privilegium ad territorium proxime urbi circumjacens, et jurisdictio urbis inde dictum, plerumque extenderunt. Quum autem initio adhuc ipse Comes vel Advocatus (Vogt) urbi regundae et inde etiam justitiae praeesset, postea eorum successores urbem e placito generali vel judicio Advocati (Vogtding) tollentes, putaverunt se eadem potestate ac Comes et Advocatus esse insignitos, quapropter de omnibus vebus, quin et de criminibus de quibus componi non poterat, judicare coeperunt (3).

---

(1) Kindl. l. l. III, No. 235. Wigand, l. l. p. 205, No. 59.

(2) »Cives predictos cum tota villa Coesfeld ab universis advocatis »et a *regio banno* liberos et solutos fecimus." Ao 1197. Docum. Episcopi Monasteriensis. Kindl. III, 1, No. 73.

(3) Kindl. III, p. 186.

Judicia illa *Burgerichte* dicebantur, et judices qui iis praeerant *Burrichters* (1).

---

(1) Wigand, in Archiv. T. I, p. I, p. 96 sqq. derivat *Burgerichte* a Bauergerichte. Alii a *Burggericht*, Cff. ibidem.

CAPUT II.

§. 1.

DE MODO QUO JUDICIA LIBERA, JUDICIA SECRETA (STILLE GEREGTEN) FACTA SUNT.

Conventus judiciarii singularum civitatum (*Volksgemeenten*) populi Saxonici distinguebantur olim in placita ordinaria (*Ungebott*, *echte Ding*), in quae, statis temporibus, Socii (*Genosser*, *Gemeenteleden*) et illi, qui vocantur *Dingplichtigen*, veniebant, et in placita extraordinaria (*Gebotene Ding*), quibus tantum a judice convocati Scabini partesque litigantes et praeterea a praecone citati aderant. Hac duplici forma, etiam post exortum imperium territoriale (*Landshoogheid*), placita cum reliqua, tum ingenuorum quoque, haberi pergebant.

Numero autem ingenuorum causarumque frequentiâ magis magisque coarctatis, quo magis fre-

quentarentur placita territorialia, distinctionem placitorum hominum ingenuorum in ordinaria et extraordinaria paulatim evanescere necesse erat. Ita ut, temporis successu, iis non alii praeter judicem et scabinos, partesque et testes vel juratores, ante citati adessent. Accedebat amissio jurisdictionis civilis, de qua in §°. sequente videbimus, et plura alia levioris momenti, quae tandem efficiebant ut judicia libera, judicia *statuta** (*Gebotene Gerichte*) fierent, quae in diem certis tantum personis indicta tenerentur. Ut a caeteris territorii judiciis, quae adhuc regulariter tamquam ordinaria sive non indicta (*ungebotene*) vigebant, distingueretur, judicium liberum nunc judicium *indictum* (*Gebotenes* s. *Verbotenes Gericht*) vocabatur. *Verbotung* enim significat *citatio* et praeco (Fronbote) saepe *Verboter* dicitur (1).

Mirum igitur quod Aeneas Sylvius (2) verbum *Verbotenes* per *vetitum* verterit, cui etiam partim

(1) *Voirboter* in citatione A[ni]. 1440. Wigand, l. l. p. 300.

(2) l. l. in Freher. Script. rer. Germ. V, II, p. 125: »id Judicium usque ad nostram perdurat aetatem vocaturque Vetitum" Cf. Freher de secretis judiciis (1610) p. 2.

attribuendum, quod ad nostra usque tempora saepe judicium *vetitum* dictum sit (1).

Judicium indictum (*Verbotenes Gericht*) tamen non erat *judicium vetitum*, licet postea saepe eo nomine ad judicia Vemica significanda usi sint. Sed hoc hanc ob causam factum est, quia plurimae urbes et regiones, privilegiis ab Imperatore concessis, se citationibus Comitum exemerant et ab iis liberaverant et inde *vetitum* ab Imperatore judicibus vemicis erat, talium urbium cives ante judicia vemica trahere (2). Sic cum A°. 1433, cives quidam Augustae Vindelicorum (Augsburg) a judi-

---

(1) Convenit hac in re cum Wigandio, quem sequimur, Eichhorn, l. l. III, p. 182 dicens, Judicia statuta (*Verbotene Gerichte*) hanc ob causam dicta sunt, quia tamquam Judicia secreta (stille gerichte) nullum placitum legitimum (Echte ding) sed tantum judicia statuta s. citata tenere poterant.

(2) Sic in opere Reehten ende Gewoonten der stadt Deventer 1644, Vol. II, T. 1, p. 31, vetitum, in titulo, » van *verbodenen* Gerichten" sub poena 400 iistiusmodi monetae quae » oude schilde" vocatur, aliquem ex urbe Daventria civem, ante aliud quam ipsius urbis tribunal citare. Idem in opere » die Landrechte van Ober IJssel. Dav. 1630, Tit. 3, p. 11, in quo tamen sermo est »van *Uytheyms* Gerichte." V. Kopp. l. l. § 163 et Eichhorn, p. 291 aa). Erat privilegium *de non evocando*.

ce aliquo vemico citati essent et Senatus urbis hac de re apud Imperatorem questus esset, hic litem inhibuit et judices elegit »coram quibus rei debebant sisti nec *vetito* illi juri comparare."

Antea placitum ordinarium sive generale etiam *judicium publicum* (*offenes gericht*) dicebatur et *judicium privatum* (geschlossenes gericht) idem quod *placitum* extraordinarium (1).

Judicium privatum (*das geschlossene, besondere Gericht*) nunc etiam judicium *secretum* (*heimliches Gericht*) dicebatur, quod nomen magnis erroribus ansam dedit: eo enim decepti lubenter sibi homines fingebant omnia in eo judicio arcano et clandestino modo agi, quod tamen revera nomen non

(1) Postea cum judicia illa civilem jurisdictionem amiserant, eadem divisio in *publicum* et *privatum* obtinuit, sed in privatum tantum *Sapientes* (*Wissende*) vocantur, in publicum vero etiam qui non sapientes (Wissende) erant. Kindlr l. l. Vol. I, p. 18 sqq. non bene agit Judicium liberum primo loco dividendo in *publicum* et *secretum*, *publicum* adhuc deinde in *generale* et *singulare*. Vera distinctio patet ex doc. a Wigand, l. l. p. 301, N°. 18, allatis, A^ni^. 1303, quod memorat actum civilem factum »*coram scabinis secreti judicii*, et A^ni^. 1305, ubi testium instar adsunt »*omnes homines liberi comitatus.*" Hoc *publicum*, illud *secretum* judicium fuit.

indicat. Nam *secretum* (a *secernere*, afzonderen, derivatum) nil aliud sibi vult hoc casu, quam verbum nostrum, *bijzonder*, *afgezonderd*, quare nomen, *heimelijk gericht* ea aetate, de qua nunc dicimus, nihil aliud est, nisi *Stille gerichten*, quo nomine revera lingua Germanica etiam dicta fuerunt (1).

Differunt judicia *secreta* a judiciis publicis, quod in illis necesse erat iis, qui adesse debent, diem indicere, in his vero non, quia statuto tempore habebantur. Praeterea pars tantum scabinorum s. judicum citabatur, quare haec pars, a toto *secreta*, *separata* dicebatur.

Differunt etiam in eo a posterioribus judiciis Vemicis p. e. dictis, quod judicia secreta adhuc civilem habebant jurisdictionem, qua deinceps vemi-

---

(1) » Ad liberas sedes Westphaliae, Freystüle sive *stillgericht* vulgariter nuncupatas." Doc. A^ni. 1416. Wigand, l. l. p. 301, Putat idem auctor l. l. p. 433, judicium secretum hanc ob causam *stillgericht* dictum fuisse, quia in caetera rei cum clamore (Gerüfde et Zetergeschrei) trahebantur, quod apud judicia vemica non moris erat. Sic Thomasius, Diss. de origine etc. Jud. Westph. (Operum Omn. Ed. V, III, Halae, A°. 1777). » Abstinuerunt clamore ante usitato si reus in » flagranti deprehendebatur ob hostilitates et caedes plerumque inde » enatas, nec non certaminibus aliisque purgationibus vulgaribus."

ca judicia destituta esse reperiuntur. Igitur non eadem est causa, ob quam anteriore et posteriore aetate placita ingenuorum dicta sunt judicia *secreta*, *arcana*, *occulta* seu *clandestina*. Anteriore enim aetate hoc nomen meruerunt, ut distinguerentur a placitis ordinariis sive publicis (1), qualia adhuc erant cetera in territorio judicia. Posterioribus vero temporibus, cum nomen jam judiciorum vemicorum invaluissent, (2) secreta dici potu-

(1) Recte Wigand, l. l. p. 301, observat non magis arcana quaedam in judiciis liberis eo tempore (i. e. exeunte saeculo XIIImo) exstitisse, quam hodie apud illos officiales qui »geheime Justitieraden" audiunt vel in judiciis »geheime Tribunalen" dictis, vigent. Addit »*Heim* ist das Bedeckte, Geschlossene, Besondere, daher die Wohnung, die *Heimath*, »daher auch das Traute, das Freundschaftliche in der Gemeinschaft mit »treuen Diener und Genossen, daher auch das Verborgene und Heimliche. Daher bedeutet *heimlichkeit* eher eine Freundschaft, einen Bund »als eine geheime Losung."

(2) Usener, l. l. p. 5: »Heimlich hieszen sie wohl mehr darum, weil das Gericht gewisse Heimlichkeiten hatte, weil die Gesetze des Gerichts, besonders die Reformationen, heimlich gehalten wurden, weil die Todesurtheile dem Verurtheilten gewöhnlich geheim blieben, und man diese erst aus der Volltreckung erfuhr, als darum, weil ihre Sitzungen heimlich und an verborgene Orten waren. Letzteres ist ohnehin unwahr. Der Gerichtsplatz war algemein bekannt, eben so die Sitzungs-

erunt aliâ etiam sententiâ, propter latentes scilicet judicum personas et arcanam agendi rationem.

---

tage und die auf den Vormittag bestimmte Gerichtszeit. Heimlich waren die Sitzungen nie, wohl aber geheim, im Gegensatz der öffentlichen, bei welchen die Dingpflichtigen umstanden. Nur Wissende (Freigrafen und Freischöffen) durften dem geheimen Gericht, dem Stillgericht beiwohnen."

§ 2.

DE CAUSIS OB QUAS JURISDICTIONEM CIVILEM AMISERUNT.

Ex natura ipsa judiciorum liberorum patet ea olim jurisdictionem civilem habuisse, et ipsa diplomata adhuc superstitia luce clarius hoc ostendunt (1).

De bonis ingenuorum necessario jus dicebatur in placitis ingenuorum, quamdiu penes hos esset istorum bonorum plenum dominium. Sensim autem majoris partis bonorum immobilium dominium uno aliove modo circumscribi coepit. Saeculo inprimis XIII°, frequenter eorum venditiones aut permutationes in documentis memorantur. Studuisse quidem adhuc eo tempore videntur ingenui,

(1) Sic in Diplom. Ani. 1177 » Henricus cognomento Murzum eodem tempore apud eundem locum super liberos et liberorum agros comicia positus."

ut bona libera manerent (1). Sed cura illa inanis fuisse videtur, saeculo enim XIV° bonorum liberorum venditiones, divisiones, oppignorationes et alienationes tam frequenter occurrunt ut ineunte saeculo XV° fere agrorum dominium jure feudali sive alio modo esset circumscriptum, iique in eamdem conditionem essent detrusi, atque illi, de quibus jam dudum, ob dominium minus plenum, cognoscebatur in placitis territorialibus (2).

Causa igitur amissae jurisdictionis civilis, bonorum liberorum amissioni tribuenda est.

Facile autem intelligi potest judicia libera omnia non uno eodemque tempore et derepente jurisdictionem civilem amisisse sed hoc per longum tantum aliquod tempus effici potuisse. Ab omnibus enim partibus a caeteris judiciis libera judicia circumdata et quasi oppressa, non poterat quin

---

(1) Sic Simon, Nobilis a Lippe, accepit a claustro Marienfeld, in permutatione » quendam mansum in Tetinchusen in restaurum cujusdam parvi mansi dicti Oldenradesvelde, qui comicie nostre, que vulgo Vrigrafscap appellatur, olim pertinuerat, tali forma, quod idem mansus Tetinchusen persolvere teneatur sedi comicie nostre pensionem.... sicut mansus in Oldenradesvelde, ab antiquo solvere tenebatur."

(2) Cf. Wigand, l. l. p. 211.

horum possessores sensim, si rem vendere vel alteri tradere vellent, territorialia judicia adirent, ut in iis actus iste solemnis locum haberet. Caeteri enim non liberi (et saepe his ii rem aliquam tradere necesse habebant) facile sibi fingere poterant tantum in suis territorialibus judiciis rem bene et legaliter agi posse, quare liberis saepe denegare potuerint ne hoc in judiciis liberis fieret. Numerus praeterea eorum qui liberi dicebantur in diem diminuebatur uti et conditio eorum propria et peculiaris, ita quidem ut caeteri et fere ipsi non amplius intelligerent, quid discrimen inter eos intercederet, unde saepe in diplomatibus »*qui vulgo liberi* s. *vrijen*", vocantur. Facile tamen judiciis territorialibus fuisse iis jurisdictionem civilem eripere non videtur, non nisi longo temporis tractu et liberis, licet frustra, diu obstantibus et renitentibus hoc fieri potuit, ita quidem, ut licet judicia libera jam *secreta* facta essent et nonnumquam jam judicia *vemica* vocarentur, ea tamen ab iis adhuc usurpata fuerit (1).

(1) Sic bonum a cive Dortmundi aliquo A°. 1303, vendebatur »coram Joh. dicto Vach libero Comite Domicelli, Conradi comitis Tremoniensis et coram scabinis *secreti* Judicii" Kindl. III, 1, N° 106, p. 275.

Memoria vero illorum, quae iis competerent vel non competerent ita evanuit, ut cum postea judices liberi, per arctum istud vinculum, vulgo Scabinorum foedus dictum, conjuncti, ad summam auctoritatem jam pervenissent, competentiam in rebus civilibus denegarent; licet, uti in §° sequente inter alia videbimus, tamen saepe factum sit ut res civiles tamquam *Femwroge* ad judicia sua traherent, et de iis sibi statuendi jus competere saepe affirmaverint et contra negantes defenderint (1).

Videamus jam, quî factum sit, ut judicia libera, jurisdictione civili amissa, criminalem tamen retinuerint.

(1) Imperator Rupertus (Ruprecht), A° 1408, nesciens quaenam eum inter et judicia vemica relatio intercederet, liberos nonnullos comites arcessivit, iisque plures de hac re proposuit quaestiones, quae primum lucem huic rei attulisse videntur. Inter alia etiam quaesivit an aliquis propter bona et debita sua citari a judicibus vemicis posset. Responsum est: » Wer also » gehaischen wirt, der versprech sich, so komt er mit recht von der » Verhaischunge, nur allein es seij ainer gehaischen um die Stuck ains » oder mer, solches gleichfals, die sich vor dem freien Stul zu rich» ten geburen, darumb en geburt ainem jegklichen still zu stehen vor » dem Freien Gericht." Cf. Wigand, l. l. p. 338 sq. » Es sol auch » kein Freigreve verbott ussenden noch thun umb Geltschulde." Hahn, *Coll. Mon.* p. 606. Eichhorn, l. l. p. 194. Cf. ibid. p. 208 x).

Conditio Westphaliae quin et totius Germaniae, saeculo XII sqq. deterrima erat. Belli et armorum amor tam omnes arripuerat ut sine bellis et rapinis viventem non facile invenires.

Miles ex oriente redux arma, quae contra infideles verterat, nunc in propria quasi intestina vertit. Vim vi repellere moris: Imperatori faidas (*vetes*) et rixas sanguinolentas componendi nulla potestas et jus vindictae privatae (Vuistregt), si non concessum, saltem non denegatum, multoque minus prohibitum. Populus, a dominis territorialibus oppressus et spoliatus, quo se verteret nesciens, cum judiciis crimina in eos perpetrata deferre si non periculis adhuc majoribus carens saltem plerumque infructuosum. Reus enim, sua potestate fretus et facile inde ab omni poena immunis, judices vero justitiam denegantes frequenter occurrunt. Quid igitur mirum si homines oppressi se conjunxerint ad vitam et bona, quaeque iis carissima essent conservanda, quid mirum, si cum vim vi aperta repellere non possent, aliam eamque multo meliorem ad finem optatum, pacem publicam et securitatem, attingendum, ingressi sint viam, putantes non vim vi esse repellendam, sed vim illatam severissime et

certo certius in judiciis esse puniendam. Quo magis enim quis delinquere volens se certius punitum iri perspiciat, eo facilius se a crimine perpetrando abstinebit. Inde igitur omnia illa foedera majora et minora explicanda, quae Germania illis saeculis tulit, inde foedus Hansa vulgo dictum, inde foedus Helveticum, inde tandem foedus scabinorum (*het schepenverbond*), quod vim suam per judicia vemica s. libera exercens, tantopere his judiciis innotuit.

Ex parvis initiis probabiliter ortum, sensim ad summam illam vim pervenit, qua tandem per totam Germaniam inclaruit. Ingenui enim superstites, a circumjacentibus Vasallis oppressi, ab Imperatore quidem adhuc directe dependentes sed ejus auxilium frustra implorantes, uno quod iis supererat remedio usi sunt. Consociarunt nempe se et foedere, verisimiliter initio, quoad numerum sociorum parvo; inter se inito, statuerunt ut quicunque tam sociorum quam aliorum eos laederet, in judicia sua, Vemica-dicta, traheretur, quae, ab antiquissimis inde temporibus eadem cum forma servata, tamquam res ab avis filiis relictas et sacrorum instar colebant. Mutuae igitur defensionis

liberorum per judicia sua contra aggressores eorum securitatis studium, effecisse videtur ut, foedere inito, criminalem de suis personis jurisdictionem non tantum conservaverint sed et postea eam quam maxime in caeteros quin et per totam Germaniam, et saepe non frustra, extendere conati sint (1).

Frustra variis temporibus conati sunt Imperatores per paces publicas (Landvredes) reipublicae turbatae quietem reddere. Conatur hoc, A°. 1187, Fridericus I: consociant se, A°. 1259, plures nobiles et urbes ad Rhenum inferiorem cum Archiepiscopo Coloniensi: paces publicae (Landvredes) A^{nis}. 1325, 1371, 1385 in Westphalia promulgantur; sed quid pax si nulli ejus servandae cura committitur judicio satis potenti et honorato, ut sententias suas exsequi possit. Cum igitur in caeteris Germaniae partibus hunc in finem judicia singularia (Landsvredesgerichten) dicta instituebantur, hoc in Westphalia necesse fuisse non videtur. Ibi enim judicia Vemica, jam ab antiquissimis in-

(1) » Denn das Gericht ist dem Guten zur stärkung und dem Bosen zur straffe." Hahn, l. l. p. 601. Wigand, p. 504. »ad exterminandas malorum pravitates." in Doc. A^{ni}. 1349 Imp. Caroli IV.

de temporibus vigentia, et forma antiqua, qua tenebantur, aeque ac honoris et justitiae amore judicum eorum omnibus nota, forum competens efficiebant, ante quod lites de pace publica violata erant trahendae et quibus eorum vindictae curam Imperatores relinquerent (1). Hanc ob causam posteriores paces publicae (Landvredes) nullam mentionem particularium judiciorum faciunt, quin et expresse de officio per istas paces judiciis Vemicis imposito agunt (1). Unde facile effici potest, quid statuendum sit de istis scriptoribus, qui de judicibus Vemicis tamquam perturbatoribus pacis publicae (Landvrede) loquantur.

---

(1) Pacibus illis (Landvredes) judicia Vemica originem suam tamen minime debent, neque cum Kindlingero statuendum, judices Vemicos veterem formam et competentiam judiciorum hanc ob causam nunc revocasse. V. Wigand, l. l. 491, Na. 41.

(2) »Et de observando pacem regiam in Westfalia in omnibus suis punctis, ipsum et officium suum concernentibus:" in investitura cum comecia libera Ani. 1385. Kindl. III, 2, No. 179, p. 505. Inde etiam explicandum, quare paces publicae Westphalienses aliis nonnumquam exemplo servierint. V. Wigand, l. l. p. 492. Cf. Kopp. l. l. p. 76 sqq. et nonnumquam pax publica (Landvrede) *veme* nominata sit. Wigand, l. l. p. 492, No. 45.

§ 3.

DE PROPRIA JUDICIORUM VEMICORUM FORMA ET RATIONE AGENDI.

In exponenda judiciorum Vemicorum forma et ratione agendi ea tantum attingemus, quae fuerunt his judiciis propria et peculiaria et a reliquis hujus aetatis diversa. Haec vero ad sequentia inprimis capita pertinent.

1°. Ad modum Scabinos constituendi.

2°. Ad conditiones sub quibus licebat apud judicia Vemica accusare.

3°. Ad distinctionem reorum in *socios* sive *scitos* et *extraneos*. Varia pro hac reorum varietate erat agendi ratio

a. erga socios.

b. erga extraneos.

4°. Ad executionem:

a. cum sententiae.

b. tum rei in flagranti correpti.

1°. *Modus scabinos constituendi.*

Imperatori (1) licebat scabinos liberos constituere, sed requirebatur, ut ipse socius sive scitus (Wissende) esset, ut ita extraneos (Unwissende) scitos (Wissende) reddere posset. Praeterea adhuc requirebatur, ut hoc in *terra rubra* (2) sive *Westpha-*

(1) Quaeritur in Ref. Imp. Ruperti »ob eyn Romisch Konigk auch muge » freye schoepffenn machen, an anderun Enden, dann in dem Landt zw » Westvalen, an dehn freien stielenn? ..... das man dieselben woll » solle unnd muge fragen, wie sie zw schopffen worden seyn, unnd » auch an welchen stielen, Erfinde sich das dann, das sie an denn » stiellen, da sich das gepurth nicht wurden weren, unnd weren sie » dan zw Westvalen in dem lande, da Hingk man sie zw hande." Senckenberg, l. l. V. I, p. 74. Quare scabini liberi magnopere questi sint, quod Imp. Wenceslaus, auro pellicitus, plures scabinos extra Westphaliae limites constituisset, eosque initiavisset et inde etiam apud Senck. l. l. p. 74, eandem poenam his scabinis in responso ad interrogationem XVI, minantur caeteri. Cf. Kopp. l. l. § 240 et Senck. l. l. I, p. 97.

(2) Variae conjecturae inveniuntur de eo, quid cognomine isto, *terra rubra* significare voluerint judices Vemici. Möser, (*Patr. Phant.* IV, p. 201) putat alludi ad colorem rubrum, qui in insignibus ducalibus

lica fieret i. e. apud liberam sedem, quae tantum in Westphalia inveniebantur (1). Ipsi Imperatores in Westphalia inter scitos recepti sunt (2).

Comiti libero etiam non licebat sine consensu

Saxonicis occurrit. Kluber, in opere *Beschreibung von Baden*, I, p. 172, putat terram rubram, terram *sanguinolentam* indicare; Wigand, l. l. p. 276, talis sententiae fautor exstitit, quod hoc nomine, differentia judicia Vemica inter, sive quae in Mallo antiquo et sub dio habebantur, et ea quae illo tempore jam saepe in domibus habebantur indicaretur. Putat *rubram* esse epitheton quoddam, quo antiquitus saepe rhetores utebantur, uti nunc poetae canunt de terra *viridi*. Aliam explicationem proposuit C. H. à Lang, in Archiv. etc. Vol I, p. II, p. 116 sq., putans per *rubrum* significari *subjectum*, per *album* autem *dominans* aliquid, uti in Russia *Alba* (Wit-Rusland), cui Russia *rubra* (Rood-Rusland), antea ab ea victa, opponitur. Sic hic Westphalia a Francis olim dominata inde terra *rubra* dicta fuisset.

(1) Recte tantum in Westphalia sedes liberas fuisse docuit Kopp, in Sect. III, p. 55—166 operis laudati. Usener, sub N° 89, tradit documentum in quo scabinus liber Philippus Ortenberg, A° 1479, urbi Francfordiae a/m, tamquam procurator apud *sedes liberas omnes Westphaliae* operas et officia sua offert. Cf. ibid. p. 9, et Berck, p. 205—30 etc. Fines autem Westphaliae accurate definire difficillimum est. Cf. Archiv., Vol I, p. I, p. 41 sqq.

(2) » Zu Romershagen, da auch eine rechte Richtstätte ist, und wo ein König von Ungern und ein Kaiser von Rom ein Freyscheffe geworden. Doc. vetus, apud Wigand, l. l. p. 520. Cf. ibid. p. 519, Nª. 118.

domini sedis aliquem scabinum liberum constituere (1).

Requisita scabini liberi erant sequentia.

Debebat esse liber et non Lito (Hörige), legitime natus et non illegitimus, gaudens juribus suis civilibus, tam publicis quam privatis, non infamatus sed famae integrae et nullo crimine accusatus, nullius delicti suspectus vel ob id condemnatus (2).

Judaei scabini esse non poterant neque *pagani*, quia hoc principiis societatis repugnabat, quippe quae etiam religionis Christianae defensionem complecterentur. *Clerici* et *mulieres* etiam erant prohibiti (3).

---

(1) »Es soll auch kein Freygreve kein (Freyschöpfen) in Westvaln Lannden machen, er thu dan, das mit willen, urlawb und Ratt seins Stulhernn oder seine wiessentlichn Amptlüte." Kopp., l. l. § 308.

(2) »Dat hey sy echt und Recht geboren sunder Ban, sunder woucker, »sunder bose Gerochte, sunder verbodinge, wertlich, hemlich oder »offenbar, ind also gelowet, dat hey wul eyn echt recht Fryscepen »werden mochte." Kindl., l. l. III, 2, N°. 204, in Doc. A^ni. 1461. Cf. Wigand, l. l. p. 497, N°. 53. »Der freygreff sol echt und recht und »Eelich geborn sey und unversprochen ales seines rechten, gantz vol»komen on all missdatt, uf Westpfellischer erden geborn etc. Senck., »l. l. p. 127, N°. 72. Cf. Wigand, p. 556, Art. 27. Kindl., Vol. III, 2, in docum. N°. 197, 204, 207, 218. L^t. A. Berck, l. l. p. 285.

(3) *Clericorum* tamen exceptiones adfuisse videntur, quippe quod,

Non dies expresse designabatur ad socios recipiendos et initiandos sed in judiciis secretis, diebus ordinariis, hoc fiebat: solemniter tamen judici impositum erat judicium ad hoc auspicari (1).

Forma qua fiebat receptio et institutio scabinorum liberorum erat solemnis. Invenimus eam in protocollo quodam conventus feimeiorum capitularis, Arensbergae A°. 1490, habiti, obvio apud Wigand sub N°. XXIII, (p. 262 sqq.) et lingua Germanica scripto.

Solemnia haec erant praecipua:

1°. Loco docetur ibi (p. 265) adesse scabino constituendo debere 6 scabinos liberos, qui de ejus honore, probitate, ingenuitate etc. caveant (2).

---

v. c. Episcopus Ultrajectensis, nonnumquam ipse Comes liber fuerit. »Episcopus Ultrajectinus, licet princeps imperii esset et omnibus regalibus ac jurisdictione celsi domini gauderet etc. nihilominus ab Imp. Carolo IV, A° 1361, in liberorum comitum ordinem adcriptus fuit." Revius, Hist. Dav. p. 112. Sic et A° 1349 Abbas Corbejensis, Didericus. Vid. Berck, p. 290. Secreto tamen judicio, si de ultimo supplicio sermo esset, adesse aut executioni auxilium praestare, fas iis non erat. Cf. quae Cap. I, p. 46, Na. 2, diximus.

(1) »Item wan du wult enen schepene maken, so hege dat gerichte, alz sick dat gebort und hirvorscriben stiet etc. Doc. apud Wigand, p. 499. Na. 61.

(2) Vulgo tamen tantum *duo* obsides aderant » Du salt *twi* frien oder

2°. Inquirere debet Comes liber an justum ab injusto discernere possit.

3°. In judicio secreto (*hemelicken*, *verschlotenen Acht*) et non in publico judicio accipi debent scabini novi.

4°. Quaestiones iis proponantur, quas Carolus Magnus instituit, quibus respondere debent.

5°. Monendi sunt ut jusjurandum praestandum inviolabiliter servent et ut poena, si id non servaverint, eos doceatur (1).

---

ander frischeffen in dyner friengraveschafft und gerichte vit laten gain, die solen dan den vnwetenden man vur dat gerichte bringen, doch mit dyme orlave; die twene, off ander twene, sollen verborgen und gelaven up jere friescheffeneyde, dat die selve, die friescheffen werde sall, sy fry und elich geboren." etc. (Altes Rechtsbuch der Femgerichte, apud Wigand, sub No. XXVI, p. 556, Art. 27.

(1) Ne signis quidem alicui indicare licebat illum esse forbannitum s. proscriptum, imo, quam generaliter et indistincte haec observanda sint, docent Reformationes, Sic v. c. in Art. 34. Cod. Tremoniensis, apud Senckenberg, l. l. V. I, p. 112, statuitur. » Item nach dem und Küng *Wentzel* zu Behem die losung der faym geoffenbartt und gemellt hatt gegen den unwissenden, wog man dieselben erfert oder ankomt, die die losung der feym also ungebürlich an sich genomen und erfarn habent, *dieselben alle sol man Richtten als der frynstül und der haymlichen achte recht ist zu dem halse:* et in Reformatione Imp. Sigismundi.

6to. Jusjurandum Vemicum (1) praestare debent uti Carolus Magnus ipse illud praescripsit: flectere debent genu dextrum, quod nudum esse debet uti et caput opertum, manum sinistram, nudam ponunt in laqueo, in nodo (das Schloet?) et in duobus gladiis, in formam crucis fabricatis, et tunc jusjurandum praestabit, se id, quod in judiciis Vemicis agitur, non

---

apud Datt. l. l. p. 779, N°. 29, 30, vetitum ne quis proscripto dicat, aliunde aeque bene se panem suum quotidianum edere posse aut sumtus quotidianos facere, quam hic etc. Cf. Berck, l. l. p. 290. Affirmat Aeneas Sylvius, qui Saeculo XV vixit »ea (scl. secreta) nondum quisquam repertus est qui vel precio vel metu revelaret." V. Freher, l. l. p. 2. Poena memoratur apud Usener eratque gravissima. »Unde wyllich fryscheffen eyn sulches verbrechet, ist syn Bousse zu recht gewyset, eyn pletz vur syn augen, tzween Reyff stryck umb synen Hals, tzwa Phymen uff synen nachen geslagen, und an den nesten Boem, den me gehaven mach, dar an gehangen, dryer fousse hoeger dan eyn rechten Dieff." Docum. sub N°. 87, p. 266—67. Cf. ibid p. 97, et Berck, l. l. p. 289.

Ne confessario (biechtvader) quidem licebat revelare quid in judiciis secretis ageretur vel actum esset V. Wigand, l. l. p. 428.

(1) Jurisjurandi variae occurrint formae sed tamen non multo a se invicem diversae: sequens exstat apud Wigand, l. l. p. 500, ex Codice Coesfeldico depromptum. »Dat ik by der hilgen ee, achter dessen dage mer, de Veme wil helen und holden by- by- by- by- vor sunne

revelaturum neque uxori aut libero, neque arenae aut vento, uti hoc praescriptum est.

7mo. Liber Comes, capite operto, communicat secretam formulam Vemicam (de *hemliche Veme*)

---

voir Mane, vor alle wester mane vor alle Godes geschichte, vor alle quecke wichte, vor water, vor vuere, vor alle creature, voir vader vor moder, vor suster, vor broder, voir man vor wyff, vor kint vor vrent, vor maich, voir allet dat goit ye geschoip, sunder vor den man allene, de dit recht hevet beschworen und een vrischepene is. Voirtmer achter dessen daghe meer, allet dat ik selven weet ofte dat ik hoir seggen van warachtighen mannen. Dat in de Veme ghiet, dat sy to steghen edder to straten, to have eder to dage, tho holte to velde; dat sy in thavernen, in wyen ede in bierhusen. In kerken eder in clusen: dat sy wair dattet sy, in alle dess werlde: dat ik dat wil brengen voir dessen vrienstoil, off vor enen anderen stoil, de gheuriet is alz desse stoil, dat dat gherichtet weerde na rechte, of na genade gheverstet. Und en wil des nicht laten omme lief omme leet, omb vrent omme maich, omb silver eder om golt, noch omme nenes Dinges willen in alle desser werlde, dat Got geschapen eder ghemaket heret, dan omme des witliken rechts willen. Vortmer soen sal ik noch en wil, achter dessen dage mer raden oder doen, mit worden eder mit werken, dat teghen den konninck eder tegen des hilgen rikes heymeliken achte recht sy. Alle desse woird de my hir voir gespraken sint, de lave ik wair, stede und vast to holdene, Alse een vryg echte schepen van rechte holden sal. Dat my Got also helpe und heillighen."

Variantes hujus solemnis jurisjurandi notantur apud Wigand, l. l.

eique eam explicat (1): praeterea symbolum quo uti debet si necessitas urgeat et quod

p. 500, N^a. 63. Occurrunt apud Hahn, l. l. II, p. 651, Senckenberg, l. l. p. 90. Wigand, N°. 26, Art. 30 sqq. etc. Antiquius et adhuc magis, quoad formam, poeticum citatur apud Wigand, l. l. p. 502. Scabinus novus promittit se secreta sacra occultaturum:

Vor Man vor Weib.
Vor Dorf vor Traid,
Vor Stock vor Stein,
Vor Grosz vor Klein,
Auch vor Quik.
Und vor allerhand Gottesgeschick,
Ohne vor dem Mann
Der die heilige Vehme hüten und hehlen kann,
Und dasz er nicht lasse davon,
Um Lieb noch um Leid,
Um Pfand oder Kleid,
Noch um Silber, noch um Gold,
Noch um keinerley Schuld.

(1) *Strick*, *Stein*, *Gras*, *Grein*. Quid his verbis significatur, nescimus et adhuc sub judice lis est. Narrat Wigand, l. l. p. 525, adhuc nostra aetate in pago Gehmen esse plures scabinos, quibus horum verborum significatio per traditionem nota est et qui, usque ad annum 1811, quo legislatio Gallica introducebatur, adhuc judicia libera de causis levioris momenti tenuerunt. Cf. Archiv Vol II, p. II, p. 153 sqq., ubi modus narratur, quo, adhuc hoc saeculo, in loco Astinghausen dicto, judicium liberum tenebatur.

Carolus Magnus judicio Vemico dedit (1): docet eum denique salutationem secretam scabinorum liberorum (2).

8vo. Comes liber ei exponit quid ad judicium secretum, quid ad judicium publicum pertineat.

Si aliquis non liber aut infamia notatus tamen

---

(1) Opus hoc symbolo iis fuit, ut, tempore urgente, se invicem cognoscerent et perspicerent an aliquis Scitus (Wissende) esset vel non v. c. si aliquis in flagranti delicto comprehendebatur, quod *femwroge* erat i. e. de quo statuere possent judices Vemici, licebat iis delinquentem statim ex arbore pendere. Ut autem hoc casu ad mutuum auxilium praestandum, se invicem cognoscerent, hoc symbolo iis opus fuit. Cf. Wigand, l. l. p. 523, Na. 127.

In numerum symbolorum etiam refertur, quod, in convivio, cultrum cum cuspide uti et phialas et patellas semper ad se verterent.

(2) Comes liber dextram suam in humero suo sinistro ponit, dicens:

Eck grüt ju lewe Man,
Wat fange ji hie an?

Deinde Comes liber ponit manum dextram in humero sinistro scabini novi, idque hic etiam facit dicens:

Allet Glücke kehre in,
Wo de Fryenscheppen syn.

De eo, quod hoc casu solverent, cf. Senckenberg, l. l. V. I, p. 91 sq. et Kopp., l. l. § 315.

scabinus liber dolose factus esset, fraude detecta, non amplius *Vrijschepen* sed *Noodschepen* vocabatur eique poena in legibus judiciorum Vemicorum memorata infligebatur (1).

Ultimo loco memorandum, *praeconem* (Fronbote) etiam magnas in judiciis Vemicis agere partes: hic enim a comite libero interrogabatur et coronam (Umstand) repraesentans hisce interrogationibus respondebat (2).

II. *Conditiones sub quibus licebat apud judicia Vemica accusare.*

1°. In iis causis, de quibus apud judicem Vemicum agi poterat, adire tamen eum non licebat, nisi postea quam quis viam, jus suum apud ordinaria judicia consequendi, frustra tentasset. Igitur tum demum, si aut justitia ab ordinario judice esset denegata, aut si reus se ejus judicio, sententiae vel poenae subtraheret, causa ad judicem Vemicum rite deferebatur (3).

---

(1) Poena memoratur apud Senckenberg, l. l. V. I, p. 117. Cf. Wigand, p. 505, N°. 75, et p. 413, N°. 8.

(2) Exstant exempla, apud Senckenberg, l. l. V. I, p. 88 sqq. passim.

(3) Reformatio A^ni^. 1408, Art. 2, » ob Imande unsers Hern des

Hoc igitur modo judicia Vemica judicia extraordinaria dicenda sunt, quippe in quibus, si caetera judicia jus laeso tribuere non poterant vel nolebant, ultimum refugium positum erat. Neque tamen judicia Vemica judicia erant secundae cognitionis vel instantiae. Nam etiamsi sententia a judice ordinario lata, simulac, quoniam ea effectu suo destituebatur, res veniebat ad judicem Vemi-

» Konigs Manne oder Dyner anzulengen und zu beclogen habe, der » sol den vor unserm Hernn dem Könige irfolgen, und beclagen, ehir » man yn an den freien stul heyschet, und also sol auch ein yglich » Cleger, einen yglichen den her ansprechen will, vor syme Hern, » under deme er gesessen ist, von rechtswegen zu vor irfolgen, und » on keyn denn selbigen Herrn fordern, dasz her den also darzu halte, » dasz her deme Cleger thu vor yme, was her yme von Ere und von » Rechtis pflichtig sie zu thunde. Geschehe denn dem Cleger das nicht, » so mochte her sine Clage und Recht wohl fürbasz suchen, fördern, » und thun an den freien Stühlen, doch also ferrn, alszo dasz Sache und Stücke sin, die sich an den fryen stülen von rechtiswegen zu richten geboren." Vid. Eichhorn, l. l. III, p. 193. q.) — » Und alle die, die sich *zu Eren und recht* nit veranttworten wöllen, und der man nit fürbringen kan, die mag man auch an das freygericht, nach freyen stuls recht vordern. Senck., l. l. p. 98. In privilegiis de non evocando plerumque excipiebatur. » Es were dan daz de Cleger kuntlichen nit recht wedervaren mochte, und eme daz recht versaget wurde." Cf. Wigand, l. l. p. 529, No. 148.

cum, hic omnia ita agebat ac si nulla praecedens sententia lata fuisset, et nullum aliud judicium quam Vemicum exstaret.

Si igitur aliquis apud judicem suum ordinarium justitiam consequi non potuerat, licebat ei adire judicia Vemica et ad ea rem deferre. Duobus tamen in casibus talis delatio nullum effectum habere poterat. Si enim reus promitteret se laeso satisfacturum esse coram ordinario judice, omnis causae contestatio apud judicia quiescere debebat, eaque promissio *Vollgebot* vocabatur (1). Aut ipse ordinarius judex notum judici Vemico faciebat, se justitiam non denegaturum, quo in casu, omnis posterior litis contestatio etiam cessare debebat, quodque *Abforderung* s. *Abheischung* dicebatur. Tale quid a variis personis fieri poterat: scilicet, aut ab ipso judice ordinario, aut ab urbis magistratu (2), aut per diploma, in quo duo vel tres liberi scabini declararent, se obsides futuros de justitia ab accusato ante ordinarium judicium laeso reddenda (3).

(1) Usener, l. l. p. 41 et ibi in diplom. N°. 28 et 42.

(2) Ibidem, p. 167, N°. 36.

(3) Ibidem in diplom. N°. 32 et 33. Nonnumquam quasdam

Imperatori etiam tamquam supremo judici hoc licebat (1).

2. Ad judicem vero Vemicum non omnes quas cunque, sed certas modo nonnullasque causas criminales, deferre fas erat. De quarum tamen accuratiore definitione non ubique et singulis temporibus eodem modo constitisse videtur (2).

Excitemus unum criminum, quorum cognitio, velut *Femwroge*, ad judicia Vemica pertineret, catalogum, qui exstat in Codice Legum et Consuetudinum Judicii Westphalici summae sedis Tremoniensis, ibique eorum numerus ad XII refertur. Puniuntur scilicet in judiciis Vemicis 1. Apostata. 2. Sacrilegium. 3. Proditio. 4. Furtum. 5. Violatio puerperarum. 6. Violatio virginum. 7. Perjurium. 8. Homicidium. 9. Falsarii. 10. Mortuorum de-

---

formulas hoc in casu requisivisse videntur judices liberi. Ibid. p. 41.

(1) Eichhorn, l. l. III, p. 186 r) putat imperatori hoc tamquam summo sedium domino competisse. Cf. Wig., l. l. p. 446, Nº. 55, et Senck., l. l. I, p. 69.

(2) Variae memorantur, sic, apud Wigand, l. l. p. 334, Nº. 2: » Item in dessen gerichte sal men richten allet, dat teghen de thyen gebode Godes is und teghen dat hilge ewangelium, dair de gesatten rechte sin utgevloten." Vid. Hahn, l. l. p. 650, et Wigand, l. l. p. 343.

praedatio. 11. Infirmorum et tabellionum depraedatio. 12. Contumaces (1).

Ob alia igitur praeter haec crimina apud judicia Vemica aliquem accusare non licebat.

3. De his criminibus, si actio apud ordinarium judicem absque eventu instituta erat, jurisdictio pertinebat ad judicem Vemicum, sive reus esset aliquis scabinus liber, sive extraneus. Exceptio videtur obtinuisse, si socius judicii Vemici ab alio socio accusaretur, ita ut, hoc in casu, judicem Vemicum statim ab initio adire juris esset.

4. Denique accusatio in judicio clandestino (die heilige, heimelicke Acht) fieri non poterat nisi a scabino libero. Ab hac enim forma judicii caeteri erant exclusi (2).

III. *Distinctio reorum in socios sive scitos et extraneos et varia pro hac differentia agendi ratio.*

Distinguebantur rei in *socios* s. *scitos* (Wissende) et in *extraneos* s. (Unwissende).

---

(1) V. Senckenberg, l. l. V. I, p. 98, est Art. 8, Reformationis Arnsbergi. Wigand, l. l. p. 343, sqq. plures alias enumerat series criminum.

(2) Usener, l. l. p. 28.

Nominis ratio ultro patet. Illi redditi erant conscii instituti secreti; reliqui non item.

Ratio agendi in judiciis Vemicis erga *socios* s. *scitos* et erga *extraneos* differebat; sed tamen utraque ratio agendi ad unum quasi fontem, e quo fluxerit, referri potest. Utrique rationi agendi communis erat processus *accusatorius;* neque cum Kopp. et Berck (1) statuendum, etiam processum *inquisitorialem,* in judiciis Vemicis, viguisse. Jure Germanico enim valebat regula »ubi nullus accusator, ibi nullus judex; et actoris erat, probare. Quamquam singulis scabinis Vemicis officium erat impositum, crimina, quae ad judicium Vemicum pertinerent, deferendi (2).

Omnis differentia, quae inter rationem agendi

---

(1) Kopp., l. l. p. 211 sqq. Berck, l. l. p. 300 sqq. Eichhorn, l. l. p. 186 et 193 p) hoc jam negavit, uti postea etiam Wigand et Usener.

(2) V. exemplum apud Usener, p. 42. »Alle Vemwroge, *die für mer in gebracht und geclagt werden* zu richtten als recht ist." Ani. 1459. Ibid. p. 43 ex doc. No. 59: »das man nymand nach der Feme rechte vorterbin solle; er en sie denne zuvor *beclaget*, erfolget, vorfemet und vorfuret als recht ist. Ani. 1408. V. Wigand, l. l. p. 356, Na. 2.

erga socios et erga extraneos exstabat, inde unice est derivanda, quod socii, ex natura ipsa societatis, quibusdam privilegiis gauderent, quibus caeteri carebant. Variam, pro hac reorum varietate, agendi rationem exponemus, ita quidem ut agamus:

1°. De agendi ratione *socios*.

2°. Erga *extraneos*.

1°. Agendi ratio erga *socios*.

Accusatio in judicio Vemico fiebat aut per scabinum liberum, qui per jusjurandum ad hoc devinctus erat, aut per ipsum laesum, si socius esset: etiam per patronum vel advocatum (vorsprecher) aliquis deferre poterat (1). Accusatione audita, a scabinis inquirebatur an delictum *Femwroge* esset i. e. tale de quo judicium statuere posset: si tale esset, *citatio* litteris mandabatur.

Citatione jubebatur, ut quis, sub banno regio, in loco indicato, tempore constituto, se sisteret ad

(1) Wigand, l. l. p. 357. Saeculo XV medio, etiam accusabatur per litteras denunciatorias.

honorem et vitam defendendum, contra accusationem, cujus natura, uti et nomen accusatoris, ipsi regulariter significabantur (1).

Proscriptionem (verveeming) ei citatio minabatur, si non veniret, et certum eum praeterea faciebat judex, justitiam tamen hanc ob causam non interruptum iri (2). Nonnumquam in litteris citationis moneta quaedam regia ponebatur, velut signum citationem profectam esse ex judicio imperatorio (3). Consuetudo obtinuit ut, in quacunque citatione, libero scabino 6 hebdomades et 3 dies

(1) Si liber scabinus citandus erat, in inscripto litterarum addebatur, » dissen brieff en sal nymand up don, sehen oder horen lesen, er ensy dan eyn echt recht Frieschessen des hylgen Richs." V. Senck., Vol. I, p. 99, N°. 10. Vid. Usener, N°. 31, ubi exstat citatio Comitis liberi alicujus. Accusator sumtus citationis solvebat; (Kindl., III, N°. 217, et rite scripta et cum 7 sigillis (saepe tamen cum uno) sigillata esse debebat. Senck., l. l. I, p. 99, N°. 10, ibidem I, p. 119, N°. 48.

(2) Wigand, l. l. p. 358, N°. 8, » du komest oder nicht, den noch geith dat Recht synen Gank." A^ni^. 1548. Kindl., III, N°. 230, p. 692. Docebat etiam idem diploma » und besorget juw myt einen Vurspreker (Advocatus) » et alio loco ibidem, N°. 225, p. 680, dicitur » dat gy erschynen myth juwes solves lyve und *myth rechten Tall van Luyden* yn geboerlychen Gewande van Kledern."

(3) Senck., l. l. I, p. 99, N°. 12, et p. 101.

concederentur, quibus praeterlapsis, ante judicium venire debebat (1).

Scabini liberi tantum a liberis scabinis citari poterant (2). Prima citatio, nam tres aderant, fiebat per duos liberos scabinos in ejus domicilio aut eo loco, ubi reus degebat (3). Secunda citatio per 4 liberos scabinos, tertia per 6 liberos scabinos et unum Comitem liberum, fiebat. Singulis hisce tribus citationibus accedebat dilatio 6 hebdomadum et 3 dierum (4). Si socius esset Comes liber, prima vice, per 7 Scabinos, secunda, per 4 liberos Comites et 14 Scabinos, tertia, per 6 liberos Comites et 21 Scabinos citabatur (5).

Forma, qua judicium tenebatur, non differebat, sive secretum esset judicium, ad quod scabini liberi accusati citabantur, aut publicum ad quod extranei citabantur. Comes liber in *sede*, in mallo posita,

(1) » Und ock nene verbodinghe korter setten, dan ses weke und dre daghe," V. Wigand, l. l. p. 360.

(2) » Item so sal kain freygraf niemand fürbotunge thun, dann mit wissenden Leuten." Ref. Ani. 1473.

(3) Senck., l. l. I, p. 75 in fine. et p. 99, No. 11.

(4) Senck., I, p. 99, No. 12, et 100, No. 13.

(5) Hütter, l. l. p. 43, No. 48. Cf. Berck, l. l. p. 311.

sedens, judicio praeerat, quod vulgo die Martis, sub luce, habebatur (1), et cujus locus omnibus notus erat, neque secretus aut absconditus (2). Ante judicem positus erat gladius, forma crucis, et laqueus (die Wijd) (3). Inquirebat Comes liber an nunc tempus esset constitutum, quo judicium teneri posset et an locus bonus esset: (4) porro an justus numerus scabinorum liberorum adesset. Omnia haec fiebant per interrogationes et responsiones Comitem liberum inter et praeconem (5). In judi-

(1) »to rechter richtedid, in rechter dingstat." Vulgo hora 7 ad horam 1 post meridiem. V. Wigand, l. l. p. 365, Nª. 5. » bym lichten *sunnenschin*" Nª. 6 ibidem. » und ahn die Elichenn, Nehmlichen *Dienn-stagk*." Senck., I, p. 75. » up den negesten Dynxte daeh" Kindl., III, Nº. 225, p. 680.

(2) » to Elderinghusen under den Hagedorn." (Usener, in doc. Nº. 34) » zum Frigehain under den Linden." ibid. Nº. 35, » czuschen den porthen zu der Wennebergh," etc. (ibid. Nº. 59.) etc. etc.

(3) » und furbasz mit einem swert, und doby ain strick oder wyd sol vor im liggen uff dem Tisch, und hege dan gericht." Cf. Berck, p. 320 sq. Wigand, Nª. 2, p. 364.

(4) Si una vel altera partium non adesset, ad horam 3 post meridiem attendebant, qua praeterlapsa tamquam contra absentem procedebatur. Wigand p. 375, Nª. 10.

(5) Vulgo dicebatur » Ich frage dich frone" etc. V. exempla apud Senck., l. l. I, p. 91 et passim, et Wigand, p. 365, Nª. 6.

cio secreto 7 Scabini liberi adesse debebant sed hic numerus augeri quidem sed non minui poterat (1).

Quisque per *patronum* in judicio secreto agebat. Postea vero etiam *procuratores* adhibiti fuerunt, qui ejusdem conditionis ac rei esse debebant (2).

Methodus procedendi, judicio cum publico tum clandestino communis, nulla alia erat, quam vetus processus Germanicus servatus, quique in ceteris judiciis in desuetudinem abire coeperat.

Judici nulla cura directa erat commissa, ut in innocentiam vel culpam accusati inquireret, sed scabini, actore reoque auditis, sententiam dicebant. Solebat autem res jurejurando confici.

Si absens esset socius, accusatus, ratio agendi sequens erat (3).

---

(1) Debebant esse capite et manibus opertis, cum pallio parvo in humeris, non armati et sine thorace, et non ebrii. V. Senck., l. l. V. I, p. 107—108, Cap. 25. Reform. Arnsbergi, et Berck, l. l. p. 320.

(2) Requisita eorum memorant Berck, l. l. p. 323, et Wigand, p. 368.

(3) Aderant tamen *impedimenta legitima* (*rechte* sive *ehehafte Noth*), ob quae quis excusari poterat, scilicet. 1. Incarceratio; 2. Morbus;

Tempore primae citationis praeterlapso, accusator, amicis et sectatoribus stipatus (Freunde und Folgern) in judicium veniebat. Licebat ei 30 afferre sed minime 6 ei adesse debebant, ut jus suum persequi posset (1). Debebant esse omnes scabini liberi et non armati. Si accusatus, ultima vice, in judicium non veniret, inquirebatur, an praecedentes citationes recte factae essent, quod obtinuisse scabini liberi et comites, quibus hoc commissum erat, jurejurando affirmabant (2). Hoc peracto, accúsator id requirebat, quod *Volgericht* s. sententia ultima (proscriptio) dicebatur (3). Frustra adhuc nomine accusati exclamato, vulgo adhuc, Comite libero petente, ultimum spatium ter 14 dierum, concedebatur, quod *Königstag* dictum fuit et consuetudine introductum fuisse videtur (4).

---

3. Religio i. e. iter religiosum; 4. Servitium regis. Vid. Senck., l. l. I, p. 104—105. Plures adduntur apud Berck, l. l. p. 317.

(1) »De cleger sal sesse mit em brenghen, sin recht mede to vulvorne, alset sick gebirt." Ani. 1439. V. Wigand, p. 374, Na. 8.

(2) Wigand, l. l. p. 375.

(3) Cf. Kopp., § 187: » die leste swer sententie uwer lip und ere."

(4) Cf. Haltaus, Glossarium voce Koenigstag. Cf. Wigand, l. l. p. 376, Na. 14.

Praesente vero reo, methodus procedendi pariter brevis et simplex erat. Omnia uno die et in unius judicii consessu finiebantur; omnia affirmando vel negando agebantur et posteriore casu, ubi negaretur, jusjurandum intercedebat et litem dirimebat (1). Reum, jurejurando se purgantem, actor adhuc cum tribus consacramentalibus refutare poterat. Huic reus sua vice cum 6 consacramentalibus, si eos haberet, occurrebat. His si actor quatuordecim opponebat reus, 21 consacramentales afferre debebat, siquidem vellet, nullo alio remedio deinceps contra eum admisso, absolvi (2).

Observandum denique omnia hic accusatoris et non salutis reipublicae causa agi, quare si hic ac-

(1) » Der verclagt freyschöpff sol sich auf dem beclaidtter banck setzen und haben ain schwert bey Im, und sol das schwert ploss nemen und legen taruff zwen finger und uf die hailigen schwern mit gelertten Wortten disen Aid. Und sol sprechen Also: '*Herr Greffe*, die hauptsachen und die hauptdatt die Ir mir gesagt habt und des mich der cleger zeicht bin ich unschuldig, Als mir Gott helff und alle hailigen, und sol fürbasz nemen ain creutz pfenning, und werff in dem Greven dar zu urkund und ker sich dann umb und gang sein Strass. Senck., I, p. 90, N°. 16. Cf. Wigand, l. l. p. 378.

(2) Cf. Berck, l l. p. 327, N°. 755, et Wigand, p. 379.

cusationem desereret vel se cum accusato conciliaret, plane lites inhibita fuerit (1).

Ratio agendi erga comprehensum in flagranti delicto, adhuc simplicior erat, deque ea in n°. sequente hujus §[i] videbimus.

2°. *Ratio agendi erga* extraneos.

Judicia Vemica sensim extraneos etiam, eorum jurisdictioni proprie non subjectos, nisi quatenus illa, velut judicia imperatoria et suprema, locum omnium ceterorum tenere censerentur, ante se trahere coeperant. Quae res multiplici abusui ansam praebuit. Soli enim Scabini erant accusatores, et tantum hi testimonium dare et consacramentales esse poterant.

Si igitur *extraneus* coram judicio Vemico se sisteret, ei oppositi erant accusatores cum suis consacramentalibus, cum contra ipse nullos consacramentales adducere posset. Semper igitur condemnari debebat. Inde sensim ortum quod extranei coram judiciis Vemicis non amplius se sisterent, quia sperare adhuc potuerunt, se contra proscriptionem

---

(1) Wigand, l. l. p. 389. Cf. Usener, l. l. p. 50 sqq. ubi exempla adsunt. Dicebatur » den klager sich zu Ehre und Recht erbiethen."

adhuc tueri se posse, non vero si apparerent contra exsecutionem sententiae. Omnis igitur ratio agendi erga extraneos sensim in condemnationem *ob contumaciam* transiit. Cum numquam adessent et licet adessent, tamen victores e lite procedere non possent, saepe quin et vulgo citationes omittebantur et extranei non citati neque auditi et non defensi, proscribebantur, cum contra quasi inter privilegia scabinorum liberorum referatur, quod citari debebant.

Itaque petentibus, initio Seculi XV, Imperii Ordinibus, et ordinante Imperatore, instaurata sunt, juxta judicia secreta, judicia publica, coram quibus extranei essent citandi. Cf. Wigand, l.l. p. 414.

Modus, quo citatio extraneo tradebatur, differebat ab eo quo scito tradebatur. Fiebat per praeconem et litteris mandabatur. Dilatio 6 hebdomadum et 3 dierum, sed tantum una vice, ei concedebatur (1).

---

(1) Berck, l. l. 312. Citatio talis saepe praeconi periculosa esse poterat, si v. c. tota urbs aut nobilis, in castello suo, esset citandus, quare tunc saepe nocte fiebat et non necesse erat eam ipsi citato tradere; sed sufficiebat eam portae urbis vel castelli affigere vel alio in loco ponere, quo sciret praeco eam homines esse inventuros. Cf. Berck, l. l. p. 314 sq. Senck., I, p. 100—101.

Si tota urbs citaretur, vulgo tantum sexus masculini citabantur qui supra annum 12 vel 14 et infra annum 70 aetatis essent (1). Si extraneus nullum domicilium haberet, eodem tempore i. e. 6 hebdomadibus et 3 diebus antequam judicium tenebatur, quatuor citationes compito affigebantur, quae versus regionem Borealem, Orientalem, Meridionalem et Occidentalem versae esse debebant (2).

In judicio publico reo praesenti se defendere licebat; sed si, permittente judice, accusator cum 6 scabinis liberis consacramentalibus se ei opponeret, aeque omnem spem fere salutis ei praeclusit, quam si in judicium secretum citatus fuisset (3). Si vero in judicio publico accusatus se sisteret, ibi causa erat terminanda, sed si non adesset, condemnatio in contumaciam locum habere debebat, quae non nisi in judicio secreto fieri potuit, quare res tunc e judicio publico in secretum transibat (4).

---

(1) Vid. exemplum apud Usener, l. l. p. 170, No. 38.

(2) Etiam nunc moneta regia addebatur. V. Berck, l. l. p. 313.

(3) Wigand, l. l. p. 416—417, ubi affert exemplum.

(4) Wigand, p. 418, Na. 18: » die klage sol gehen usser dem *offenbaren friengedinge* und wirchen in den *heimelichen Acht*" Ani. 1470. Kindlinger, l. l. V. I, p. 18 sqq. transitionem illam non recte explicat.

Jam intelligitur, quare condemnatio ob contumaciam inprimis extraneorum tam frequenter et fere semper obtinuerit, quasi proscriptio (Verfemung), quae tantum, in methodo procedendi ordinaria, sequela contumaciae esse poterat, palmarius esset instituti Vemici effectus.

Condemnatio ob contumaciam sociorum et extraneorum eodem modo fiebat. Si citatus, post rite factas easque impletas citationes, non veniret, accusator cum ejus patrono et 6 scabinis liberis consacramentalibus prodiens, rogabat an causa judicio Vemico subjecta (*Femwroge*) esset. Hac de re lata sententia interlocutoria, declarabat omnes citationes rite esse factas et rogabat comitem liberum, ut, viva voce, accusatum appellaret. Si silentium indicaret, eum non esse praesentem, accusatus id, quod dicitur *Vollgericht*, petebat, ut accusatus puniretur. Hoc concesso, Comes liber eum flectere genu jubebat et, duobus digitis in gladio positis, jusjurandum praestare jubebat: quod eo fere redit: Talis quis (N. N.) mihi bonum meum extra faidam, contra Deum, honorem et jus eripuit. Hanc ob causam eum accusavi et citatus est secundum jus sacri imperii. Nihilominus summum sacri imperii

judicium neglexit et inobediens ei fuit, neque mihi honorem aut justitiam tribuere voluit; sed in scelere suo pergens et virtutis suae innatae oblitus fuit, quare, criminis hujus causa, meritus est laqueum et patibulum et caput ejus omnibus Comitibus liberis et Scabinis liberis addictum sit. Hoc esse verum testor per Deum et Sanctos (1).

Ejus consacramentales eadem cum formula jurabant, hoc jusjurandum esse sincerum et verum. Hoc finito *proscriptio* (verfemung) a libero Comite contra accusatum pronunciabatur (2).

---

4. *Exsecutio.*

a. Sententiae.

Proscriptiones judiciorum Vemicorum, saeculis 12mo. et 13mo., non ita frequenter memorantur et tantum effectibus foederis scabinorum tribuendum est, quod, in sequentibus saeculis, tam frequenter occurrant. Ab eo enim tempore, quo judices liberi alios, etiam extra comeciam liberam degentes quin

(1) Wigand, l. l. p. 421.

(2) »Were er dan nit kommen und hette sich verantwordt, so mocht man in von stund an verfaimt haben." Wigand, l. l. p. 421, No. 4.

et extraneos, extra Westphaliam habitantes et natos, socios acceperint, ab eo vis latissime patens proscriptionibus addita fuit (1). Cum enim scabini liberi per totam Germaniam sparsi essent, non facile esse debuit condemnato se supplicio subtrahere, cum ab omni parte a scabinis, ad sententiam exsequendam obstrictis, clam circumdatus erat. Non mirum igitur, quod semper numerum scabinorum liberorum augere studuerint Comites liberi, ita quidem ut affirmarint, nonnumquam eorum numerum C millia majorem fuisse (2). Quando primum acciderit, ut scabini extranei in societatem recepti sint, certo definiri nequit. Eichhorn, l. l. Vol. III, p. 201 sq. putat id, exeunte saeculo XIV^to^., primum factum fuisse; magis autem nobis placeret opinio Wigandii, l. l. p. 496, N°. 51, qui illum morem ad saeculum XIII revocat; initio sal-

(1) Ipsi judices Vemici saepe erraverunt, in causis definiendis ob quas hoc factum esset. »Und es solten die Westvälischen Niemand denn Westvälische zulassen, denn es ihnen allein gesezt is. Sie lassen aber Männlich zu von Gütigkeit wegen, das nicht sein soll." Hahn, Coll. Mon. II, 6. Wigand, l. l. p. 496.

(2) Möser, von den Westph. Freigerichte in Patriot. Phant. V, IV, p. 197.

tem saeculi XIV. jam vestigia certa hujus rei occurrere videntur.

Proscriptio (Verveeming) talem effectum habebat, ut is, qui eam sibi contraxisset, loco esset rei in judicio convicti et condemnati et ut omnes liberi scabini citarentur ad poenam ei infligendam (1). Quicunque autem, sciens eum esse proscriptum, opem et auxilium ei praestitisset, aeque in poenam incurrebat quam proscriptus (2).

Proscriptio, in librum sanguinis (Bloedboek) (3) recepta, statim ac promulgabatur, ut efficax esset, nulla alia forma indigebat (4). Nullibi proscriptus securus et tutus erat, nam officium grave sociis

---

(1) »Und allen, Fursten, Herrn, Edeln und Stetten und meniglich vermannt gebetten und gebotten, besonderbar den wissenden freyschöpffen, das man dem gericht und cleger beystand tüee" etc. Reform. Arnsb. C. 48, apud Senck., l. l. p. 119.

(2) Kopp., § 217. »Und ob jemand anigen verfaimbten furdrung dett, den mag man darumb belangen nach freynstuls recht." Wigand, l. l. p. 423, N°. 8.

(1) Berck, l. l. p. 300.

(2) »Wan so er also verfaimbt ist, so ist es auch volkommen *bewisen*, als recht is, dasz er bösz ist, und darumb sol man auch einen sollichen als einen bösen und verfaimbten halten." Wigand, l. l. p. 426, N°. 12.

impositum erat, sententiam ut exsequerentur. Si quatuor, vel tres minime accusatum invenirent, per officium suum coacti erant, eum prehendere et ex proxima arbore suspendere. Ne extranei autem putarent hoc a praedonibus factum esse, non spoliabatur et culter arbori infigebatur (1).

Si vero non tres, sed tantum duo scabini liberi condemnatum offenderent, ne ita iis ipsis periculum oriretur, executionem in meliorem opportunitatem differre potuerunt (2). Quisque liber scabinus ad auxilium executioni praestandum obligatus erat, si litteras et signum Comitis liberi inspiceret vel 3 aut 4 Scabini liberi jurabant, hunc hominem esse proscriptum et ad hujus executionem ejus auxilium implorarent (3). Si se defenderet proscriptus, lice-

(1) Wigand, l. l. p. 427. Quaeritur tamen in Senck., l. l. V. I, p. 128. » Gefragt ob ainen mit recht verfaymbt wer und der cleger den verfaimbten beraubet, was darumb recht sey." Responditur »der den verfaimbtten beraubt, hett nichtes an verfrevelt."

(2) » Um sein gewisz zu seyn," et etiam » Man soll sich dann dabei vor schaden hüten; und zum mindesten selb Dritt seyn. » Wigand, l. l. p. 427, N°. 15. Senck., l. l. V. I, p. 111.

(3) » Sie stehen nur bei auf eines Freigrafen gerichtlicke Urkund, Brief und Segel etc. Senck., l. l. I, p. 111. Cf. Berck, p. 302, N°. 689.

bat iis eum prosternere. Hoc casu corpus etiam pendebatur et culter arbori infigebatur. Sic agebant, si absens aliquis fuisset, quum condemnaretur; si contra praesens esset, executio statim locum habebat (1).

b. Rei in flagranti correpti.

Requisita quae efficerent, ut aliquis in flagranti correptus esse, dici posset, erant duo sequentia.

1. *Handhafte That.* (op heeter daad) (2) in flagranti, ad quod requirebatur: α: *hebende Hand* i. e. manu adhuc erecta, qua crimen perpetratum erat: β. *blickender Schein:* i. e. cum tali signo e quo revera constaret, eum crimen perpetrasse v. c. gladius sanguinolentus: et denique: γ. *gichtiger Mund* i. e. ut ipse rem fateretur, vel se jactaret de crimine a se commisso (3).

---

(1) Berck, l. l. p. 334 sq.

(2) Cf. definitiones quas affert Berck, l. l. p. 296, Nº. 682 ex coll. *Sachsenspiegel* et *Sächsisches Weichbild.*

(3) Hanc rationem agendi ita judices Vemici defendebant ut dixerint: esse res quae per naturam suam sententiam suam secumferunt, uti *hebende Hand*, *gichtiger Mund und blickender Schein.* Wigand, l. l. p. 406.

2. Minimum tres scabini liberi hujus rei testes esse debebant (1).

Si igitur haec requisita aderant, licebat his scabinis liberis eum prehendere, interrogare, condemnare et statim ex arbore proxima pendere (2).

Si in flagranti delicto correptus, tamen evasisset, erga eum modo ordinario in judicio Vemico erat agendum (3).

---

(1) „Den mogen 3 oder 4 oder mehr Frien Schoffen mit der frischen that und an der stadt zu stundt wol verkunden." Wigand, l. l. p. 405, Nª. 18. Scabini liberi hoc casu erant Accusatores, Testes, Judices et Executores sententiae.

(2) Wigand, l. l. p. 405.

(3) „Kumpt er aber von danen, szo sal man im darnach nichts thun, er sey dan zuvor beclagt, verfolget, verfeimt, und verfiert, an den freyen stullen" etc. Senck., l. l. V. I, p. 75.

THESES.

I.

Frustra Voetius, ad Tit. de legatis N°. 46, L. 124. ff. de legatis I, cum L. 17. ff. de duobus reis constit. conciliare conatur.

II.

Minus recte in L. ult. Cod. de patria potestate, docetur, patrem olim jus liberos vendendi non habuisse.

III.

Cautio fructuaria a testatore remitti nequit.

IV.

Minus recte Cujacius (Libr. 9. Observ. 37) pro *commodato* in L. ult. Cod. Commodato, legere vult *commendati*.

V.

Liberi naturales portionem reservatam tantum quoad ea bona habent, de quibus parentes testamento suo disposuerint, non vero de iis quae donatione inter vivos extraneis largiti sint.

VI.

Verba »la charge de conserver et de rendre" in Art. 896. Cod. Civ. intelligenda sunt de obligatione bona servandi et demum restituendi post mortem gravati.

VII.

Art. 750 Cod. Civ. tam de fratribus et sororibus unilateralibus, quam de germanis est intelligendus.

VIII.

Verba »plus de quarante jours" in Art. 1724 Cod. Civ. ita sunt intelligenda, ut conductor non tantum pro tempore, quod excedit 40 dies, sed et pro toto tempore, quod ad reparationem requiritur, pro rata parte, deminutionem mercedis petere possit.

IX.

Instrumentum privatum, revocans testamentum, sed nil de bonis statuens, tamquam testamentum olographum valere non potest.

X.

Art. 113. et Art. 136. Cod. Civ. sibi non repugnant.

XI.

Art. 7. Cod. de Meth. proc. in Crimin. caedibus favet.

XII.

Nullum delictum, nulla poena, sine praevia lege poenali.

XIII.

Summo Imperanti potestas in Ecclesiam est concedenda.

XIV.

Ad agriculturam promovendam plurimum facit, ut praedia in longum tempus locentur.

XV.

Non generaliter introducendum est systema locationis magnorum praediorum (het stelsel van verpachting in het groot).

XVI.

Prohibitio mercium peregrinarum oeconomiae politicae praeceptis repugnat.

XVII.

Libertas L. 4. ff. de collegiis etc. collegiis concessa valde est probanda.

XVIII.

Ada numquam fuit Comitissa Hollandiae.